

Concio F. Ludouici Gra
natensis de officio & moribus
*Episcoporum habita Olyssip. in con-
secratione Reuerendissi. D.
Antonij Pinarij Episcopi
Mirandē.*

20



¶ Olyssipone excudebat
Franciscus Correa Thyogra
phus regius. Anno
1565.

Operis approbatio.

¶ Examinata fuit Concio hæc
per R. P. Magistrum F. Ema-
nuelem á Vega librorũ omniũ
examinatorem ex cõmissione
serenissimi Cardinalis Hérici,
Infantis Portugalliæ, & in eis-
dem regnis generalis Inquisi-
toris.



Reuerendissimo. D. D.

Ioanni Riberio Episcopo Pa-

icensi, F. Ludouicus Grammatensis sa-

lutem in eo qui est

vēra salus.



VM paucis ante hac diebus aureus hic Libellus Reuerendissime præsul typis in hac vrbe Olysipon. excuderetur, contigit vt eodē tēpore obseruatissimus D.

Antonius Pinarius in Episcopū Mirandēse cōsecraretur. Cūq; is mihi pro maxima mea erga illū pietate cōmisset, vt eo ipso consecrationis die Cōcionē haberē: qua de moribus & institutione vitæ pastoralis agerē, visum mihi fuit, hāc ipsam Concionē pro ap- pēdice, ad calcē huius operis adiūgere: quoniā non modo idē vtrobq; argumēti genus est, sed eadem etiam tractandi ratio. Quemadmodum enim Autor sentētijs sanctorum patrum vbiq; sua corroborat (quæ philosophandi ratio tutissima & certissima est) ita ego eorundē vestigijs insistens, eadē vbiq;

A 2 testimonia

Epistola

testimonia simul cum sanctarum scriptura-
rum testimonijs afferre curavi: vt de his pu-
rissimis fontibus haurirem quę de hac re mi-
hi pro illius temporis & argumenti ratio-
ni dicenda essent. Ea. n. temporum no-
strorum calamitosissima cōditio est, eoq; de-
fluxit vita pastorum, vt nisi oculos ad præte-
rita tempora reuocemus, & sanctissimorum
antistitum dicta factaq; ante oculos velut ab-
solutissimum quodā pastoralis vitę exēplar
proponamus, vix intelligi possit huius tātę
profefsionis celsitudo, ne dū operibus queat
exhiberi. Quamobrem, quemadmodū qui
puritatē & elegantia latinī sermonis expri-
mire cupiūt, ad elegātissimum illud Cicero-
nis seculū oculos cōijciūt, eāq; loquēdi ratio-
nē quę illo potissimū tempore vsurpata est,
imitari cōtendūt, ita plane qui hoc nrō cor-
ruptissimo seculo (inquo tātōpere populus
Christianus à maiorū suorū cādore degene-
rauit) pastoralis vitę sanctitatē puritatēq; vo-
luerit agnoscere, & agnitam imitari, necesse
est vt amotis prorsus & clausis oculis ad æta-
tis nostrę mores, antiqua nascētis Ecclesię
tempora, veterumq; patrum vitam & sancti-
moniam sibi proponat imitandam. Quod &
autor huius operis sequutus esse videtur, &
ego quantum potui iisdem ingredi vestigijs
conatus

conatus sum. ¶ Et quæuis temeritatis & arrogantiae notâ subijssè videar, qui nugas meas excellentissimo operi adiungere tērauerim, tamen cum tam familiaris necessitudo charitatis pectus meum cū autore copulauerit, non debet mirum videri, si illius etiam scriptis mea iungantur, quorum & mens & animus in Christo vnus est. De quo viro multa & ea quidem memoratu digna habebā, quæ Amplitudini tuæ referre possē, nisi & pudorem religiosissimi patris offendere timerem, & ea etiā illustris simul et eruditissimus D. Dieghus Payua breuiter in huius operis præfatione cōmemorasset. Vnum tamen illud in tuā Reuerendissime pater, & coepiscoporum tuorum gratiam silentio præterire non possum: quod ego ipse vna cū fratribus celeberrimi cœnobij. S. Dñici Olisipon. testis aderam; cū religiosa illa vox (de qua in præfatione fit mētio) ab huius obseruatissimi præsulis ore prodijt, se daturum operā, vt ita Episcopali dignitate fūgeretur, vt monasticę vitę propositum, & parsimoniam (quoad eius fieri posset) non desereret. Ego inquā aderam, imo & ego ipse fui qui illū modis omnibus onus hoc refugientē, & sūma contentione detrectātem sub inuermatione anathematis ~~sub inuermatione~~ *Qua dignitate suscepta, quæuis*

Tommaso

Epistola 77

in initio maximis animi angoribus vexatus fue-
 rit, & nullum non mouerit lapidem, quo su-
 scepto oneri cederet, dum grauiora pericula
 videt, q̄; ante præuiderat: omnibus in frustra
 tentatis, tandem diuina aspirante gratia ma-
 num misit ad fortia, totumq; se sarcinæ sup-
 posuit pastoralis. In quo opere, adeo constan-
 ter sobrietatem illam & modestiam quâ pol-
 licitus est præstitit, vt nullis neq; cõmuniũ
 amicorum persuasionibus, neq; humanæ
 prudentiæ rationibus ab instituto deflecti
 potuerit. Quo factum est vt cum tenues ad-
 modũ expensæ ad alẽdam eius domum atq;
 familiam sufficiãt, quidquid ex amplis reddi-
 tibus illis celeberrimæ Ecclesiæ supeest, nõ
 suum, non famulorum, non consanguineo-
 rum, sed pauperum sit ac viduarũ & Eccle-
 siæ ministrorũ. Hinc .n. inopum greges alũ-
 tur, nudi vistiũtur, egroti passim per domos
 curantur, virgines destitutæ matrimonio co-
 pulantur, & non parui greges studentũ vn-
 diq; ex tota diœcesi ad hoc delecti aluntur,
 & instituuntur: qui postea sacris initiati in
 Ecclesiarum ministeria cooptentur. Quæ
 omnia in hoc regno notiora sunt quàm vt
 referre opus sit, vel quàm vt eis referendis af-
 sentationis notam subire verear. A me tamẽ
 eo consilio referuntur, vt vel hoc vno exem-
 plo clarissimi Hispaniæ nostræ præsules in

Nuncupatoriã.

telligant, quantam Ecclesiæ Dei utilitatẽ
parsimonia hæc & modestia prælatorũ alla-
tura sit: quæ tantopere in comunẽ omniũ
utilitatem cedit: dum quod sibi subtrahit
Episcopus, cum omnibus munifica liberali-
tate partitur: simul vt multi religiosissimi
præsules, quibus Hyspania referta est, & qui
bus pietas & Ecclesia Dei chara est, non ve-
reantur hanc nouam viuendi rationem in-
gredi, imo antiquam in lucem reuocare, &
velut à mortuis excitare. Hæbent enim quẽ
sequantur: neq; de euentu trepidare eos de-
cer: cũ euentus ipse facile declarauerit, nihil
utilius ad publicam salutem excogitari po-
tuisse. Possem & alios in hoc florentissimo
regno similis propositi Patres cõmemorare:
sed sciens volensq; prætereo, ne aliorũ laus
aliorum gloriæ detraxisse aliquid videatur.
Verũ de his pro Epistolæ et operis magnitu-
dine plus satis: si tamen illud addidero mihi
dum scribo Horatianũ illud contigisse. Am-
phora cœpit institui: cur vrceus exit? Cõcio-
nem. n. scribere aggressus, pene librum con-
feci: quem ideo capitibus suis distinxi, ne lõ-
ga orationis series, & sine vlla distinctione
fluens oratio, tædio Lectorem afficeret. Ac-
cipe ergo præsul Reuerendis. munusculũ
hoc, obseruantix & pietatis erga te meæ cer-
tissimũ

Epistola Nun cupatoria

tissimū pignus . Et quando tibi per assiduas
curas licuerit, lege etiam aureum hunc Præ
sulis obseruandis libellum: quem ego non
librum, sed lucernam quandam calamitosif
simi huius seculi tenebras illustrantem ap
pello. Habent enim hic ij qui in lucem mū
do dati sunt quò difficilem admodum atq;
arduam prælatorum viam, apertissime & vi
dere, & ingredi possint: habent quid sequi
debeant, quid vitare, quas curas & cogitatio
nes animo voluere, quid, si ab officio & no
mine suo degenerauerit, timere: quid

vero si recte munus suū obierint

à principe pastorū Xpo Dño

sperare debeant.

Vale Præsulum decus.



Concio F. Ludouici
Granatensis de officio & mori

bus Episcoporum, habita in consecra-
tione Reuerendissimi D. Antonij Pi-
narij Episcopi Mirandensis.

¶ Thema. Symon Ioannis dili-
gis me plus his? Pasce oues meas.

Ioan. vlt.



V M diligenter ani-
maduerto Patres amplissi-
mi, nobilis & religiosa con-
cio, quibus de rebus, & a-
pud quos hodie mihi dicē-
dum sit, vereor ne in illā re
prehensionē incurram, quam Phormionem
præclarissimum philosophum subijisse Plu-
tarchus refert. Cum enim Hānibal, qui to-
ties cum populo Romano victor bellū ges-
sit, cū mutata subitō fortuna, Attenas pro-
fugus ad Antiochū peruenisset, ibiq; in scho-
las visendi gratia à ciuibus perductus, Phor-
mionem quendam senem & philosophorū
eius ætatis facile principem de re militari (vt
experientissimo duci gratificaretur) legentē
audiuisset

Concio

audiuisset, finita lectione mirantibus cæteris in philosopho senē tantam peregrinæ disciplinæ facultatē, & ab Hānibale quid ei videretur sciscitantibus, respondisse fertur, se multos quidem delyros senes vidisse, neminem tamen Phormione dementiorem. Et merito sanē, vt Cicero autor est. Quid enim dementius, quā vt Philosophus in otio, & vmbra vitam degens, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, coram Hannibale qui cum populo Romano orbis victore, tot annos de imperio decertasset, de disciplina militari (quæ vsu & exercitatione magis, quā solerti meditatione cōparatur) differere? Sunt enim pleraque (ne dicam omnia illa præsertim quæ in actione aliqua versantur) quæ multo magis experientia, quā artis præceptionibus intelliguntur. Vnde & Aristoteles ipse testatur, instructiores ad operādum eos esse, qui periculis & rerum experientia, quā qui artis præceptis edocti sunt. Ars enim rerum est vniuersaliū, experientia verò singularium, in quibus omnis actio continetur. Quā ego sententiam (quæ ad multa & varia accommodari potest) ideo Patres amplissimi in huius orationis exordio vsurpauī, vt significarem idem mihi nunc accidisse, quod illi quondam contigit

tigit Phormioni. Si enim ille meritò ab Hæ-
nibale dānatus est, quòd coram experien-
tissimo duce, de remilitari (quā ipse nūquā
attigerat) verba facere voluisset: an non ego
cum illo pariter eodem crimine dānari pos-
sem: qui cūm Episcoporum functiones &
offā nunquam attigerim, coram tot tamen
amplissimis Ecclesiæ Dei ducibus & antesi-
gnanis, de officio ipsorum agere præsumā?
Cū præsertim hæc disciplina nihilo sit mi-
litari inferior, sed tanto etiam superior, quā-
to hostis quo cū bellum gerimus infestior
est atq; immanior: nec minus hæc multarū
rerum experientia, quā illa comparetur.

¶ Adde alias etiā huius operis difficultates.
Agendum enim mihi hodie est de pastorum
munere, id est, de re omnium excellentissi-
ma, & maximis laboribus & periculis obno-
xia: atq; ita non solum ratio personarum an-
te quas mihi agendum est, sed res etiam ipsa
de qua agendum est, me à suscepti operis in-
stituto remoratur. Esse autem Episcoporiū
munus rem omnium longè dignissimā, aper-
tè innuit Diuus Ambrosius, cū ait, Honor,
& sublimitas episcopalis nullis poterit com-
parationibus adæquari. Si regū fulgori cō-
pares & principū diademati, longe erit id in-
ferius, quam si plumbi metallum ad auri ful-
gorē

*Ambr. in
Pasto.*

Concio

Chrysof. gorem compares. Quippe cū videas regum
colla & principum submitti genibus sacer-
dotū, & deosculata eorum dextera, oratio-
nibus eorum se credunt cōmuniri. Deniq;
tanto est (vt Chryl. ait) superius regno sacer-
dotium, quantum est inter spiritum & carnē
interuallum. Præterea, si raritas (vt D. Ber-
nar. ait) rebus pretiū facit, nihil certe in Ec-
clesia Dei pretiosius, nil ve optabilius est, bo-
no vtiliq; pastore: nempe rarā avis est in alto
constitutum, non altum sapere, sed humili-
bus consentire: nil Deo charius, nil apud ho-
mines rarius. ¶ Iam vero labores huius offi-
cij, quis queat enumerare? Quibus. n. difficul-
tatibus oīs præfectura non modo Episcopo-
rum, sed quorūcūq; etiā magistratū & præ-
fectorū implicita sit, elegāter Cicc. deplorat
his vrbis. O condiciones, miseras admini-
strandarum ciuitatum & prouinciarum: in-
quibus diligētia plena sinultatum est, nigli-
gentia vituperationum: vbi seueritas pericu-
losa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus,
assentatio perniciosa, frons omnium familia-
ris, multorū animus iratus, iracundiæ occul-
tæ, blanditiæ apertæ: veniētes prætores ex-
pectant, præsentibus inserviunt, abeūtes de-
ferūt. Omnium rerum (ait quidam) laborio-
sissimum est animis præesse. Et ideo, eos qui

De officio pastoralī.

eo accedunt, vnctos esse oportet: vt qui in certamē laboriosum descendāt. Quod ipsū Diuus etiam Augustinus hisce verbis testatur. Nihil est in hac vita, & maximē hoc tempore difficilius, laboriosius, & periculosius, Epī aut presbiteri officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator iubet. Causam vero huius tātæ difficultatis explicat Diuus Gregorius his verbis. Re vera mihi videtur esse ar- tium, & disciplina disciplinarum, hominem regere: qui certē est inter omnes animantes & moribus varius, & voluntate diuersus.

*Aug. in
quandam
Serm.*

*Greg. in
Moral.*

Quantis verō periculis tam corporis quā animæ cura hæc pastoralis obnoxia sit, satis aperte declararunt cūm alij sancti antistites, tum maximē D. Gregorius Nazianzenus: qui populariū suorū inuidia ab Ecclesia sua pulsus, furori cedens aduersariorum, exclamās ait, Vale mihi ó cathedra, sublimitas inuidiæ, & periculo obnoxia. Quibus verbis sanctissimus Præsul inimicorū odia fugiēs, in Nazianzenā reuertitur Ecclesiam: satis per hæc ipsa declarans, quantis hæc cathedra periculorum fluctibus esset exposita.

*Gregori.
Nazian.
zenus.*

Vidētis ergo Patres amplissimi quam vastū & scopulosum pelagus ignarus fluctuū, & incautus nauta præternavigare incipio?

Sed

Sed ratio muneris instituti me cōpellit, vt in
 cōsecratione dignissimi & virtutibus cūctis
 ornatissimi pastoris, de officio, cura, & mori-
 bus optimi pastoris sermonē institutam, nisi
 me officio subtrahere, & præter rē agere vo-
 luero. Nō enim vim rebus inferre volo: sed
 id assumere, quod ipsæ mihi sponte sua tri-
 buere videntur. ¶ Cæterum quæ res me ini-
 tio dicendi trepidū facit, eadē vos magis &
 attentos & sollicitos reddere debet: vt quam
 vigilantissimis animis audiat rem qualē vo-
 bis depinxi: nempe omniū & dignissimā, &
 laboriosissimā, & innumeris cinētam pericu-
 lis: & quæ tota vestra est, tota ad vos spectat,
 quorū omnis & labor, & periculū, & digni-
 tas futura est. Quādo igitur rei magnitudo
 imbecillitatem meā declarat, & diuinū au-
 xilium flagitare ipsa videtur, idē ad solita
 beatissimę virginis Mariæ suffragia supplici-
 ter confugiamus .d. Aue Maria.

Symō Ioannis diligis me? &c. Tria mihi
 in his Dñi Saluatoris verbis inquisitio
 ne digna esse videtur. Primū (quoniā
 hæc interrogatio per cōparationē, plata est,
 cū Dñs dicat, Symō, diligis me plus his) que
 rendū videtur (id quod diu multumq; inter
 Doctores agitatū est) an dignissimus omniū
 esse

esse debet, is qui ad pastoris officium deligitur. Deinde illud explicandum quæ res sint, quæ hoc tanto munere dignum faciant. Postremo, ubi expositum fuerit multa esse quæ ad hanc dignitatem requirantur, peruectiganda ratio erit, cum Dominus cæteris omisis non semel atque iterum, sed tertio quoque de sola interrogat dilectione. Est enim hæc cum repetitio, tum interrogatio (ut mihi quidem videtur) mysterijs, referatissima, et autore suo per quam dignissima: & quæ hac dicendi figura summa latissimi huius negotij breuissimè simul & apertissimè complexa est. Hæc sunt præcipua huius interrogationis capita: quæ ubi fuerint enucleata, facile ut constare poterit (id quod in hac causa præcipuum est) nimirum, quis sit scopus pastoralis officij: & quibus ad illum itineribus perueniatur. Perspecto enim fine, facile intelligetur ea quæ ad consequendum finem ordinantur: quando quidem secundum placita Philosophorum, ratio & ordo mediorum ex fine colligenda est.

Principio igitur constat, Dominum ante passionem suam claves Ecclesiæ suæ Petro promississe, cum apud Mattheum dixit, Tibi dabo claves regni cælorum. Post passionem verò ac resurrectionem suam iturus in cælum, & præsentiam suam mortalium oculis sublaturus, ne Ecclesia visibilis visibili pastore desti-

.

.

.

Mat. 16.

re destitueretur. Petrum pro se vicarium creauisse, illiq; regni cœlorũ clauces quas ante promiserat, tradidisse: atq; illum his, quæ au distis verbis compellasse, Symon Ioannis diligis me plus his? Atq; vt hinc dicēdi initiũ faciamus, interrogatio hæc circumspecta admodum esse videtur, cùm non filius solum, sed pater etiam exprimat: ne alium Symonem in re tanta pro alio acciperemus: quem admodum & alibi apud Paulũ pro Cepha (cui Apostolus in faciem restitisse dicitur) quidam alium & alium Cepham interpretantur. Symon (inquit) Ioannis diligis me plus his? Cui ille, Tu scis Domine quia amo te. Quo in loco illud negligēdum nō est, quòd Symon per comparationem interrogatus, non per comparationem, sed simplici oratione respondet, Tu scis Domine quia amo te: à qua respondendi ratione, nullis Domini interrogationibus deflecti potuit. Nimirũ quia meminerat quæ ei male celsisset quod paulõ atea dixerat, Etiam si omnes scandalizati fuerint in te, sed ego nunquã. Qui enim sibi nimium tribuēs, supra cæteros se incautus & infirmitatis suę immemor extulit, præ cæteris fœdius corruens, temeritatis suæ penas dedit. Sed quoniam electis omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata (vt D. August.

D. Augu. ait) periculo suo doctus, non audeat iam se alijs anteferre, quāuis per comparisonem à Domino rogaretur, & re verā plus cæteris Dominū diligeret. Neq; enim prætermisissis alijs hoc Dñs ab eo quæreret, nisi cum maior Christi charitas cæteris digniorem faceret. Sed ille tamen casu suo nō modo cautior, sed etiam humilior redditus, veritatem, quam sine mendacio proferre poterat, subtrahit: quoniam sæpe quod sine mendacio dicitur, sine elationis periculo non dicitur.

*Augu. in
Medita.*

Prima pars.

Circa hæc igitur Domini verba inquirendum esse diximus, an ad officiū pastorale digniorem eligere teneamur, aut certe satis sit dignum eligere. Hæc inter doctores Theologos, & iuris Canonici peritos diu multumq; agitata quæstio est. Pleriq; enim iuris peritorum satis esse arbitrantur, si dignum hominem huic muneri præficias. Nam qui cuius negotio præfectū eligere debet, satis officio suo functus esse videtur, si dignum hominem pro negotij conditione præfecerit. Contra verò Theologi, maximè qui D. Thomæ doctrinam amplectuntur, huic tanto negotio quod reliqua

B

omnia

Concio

omnia longe superat, non modo dignū, sed etiam dignissimum destinandum esse acriter defendunt. Verum hanc tam longam cōcertationem hac nostra ætate maximo Dei beneficio sacra Synodus Tridētina diremit: cūm eos mortaliter peccare, & peccatis alienis cōmunicare asserit: qui digniores & Ecclesiæ magis vtilis pastores præficere nō curauerint. Quod quidem & maximis rationibus comprobari, & sacrarum literarum apertissimis testimonijs demōstrari satis potest. Ut vero cætera omittam, abundè sanè id demōstrat trina hæc Domini Saluatoris interrogatio: qua non quidem simpliciter, sed per comparisonem cautè & vigilanter interrogat, Symon Ioannis diligis me plus his? Hac enim prima pastoris Ecclesiastici electione formam cæteris præscribere volens, nō simpliciter interrogat, Diligis me: sed, Diligis me plus his: vt videlicet non pari virtute & charitate fulgentem, sed cæteros antecellentem ad tantum hoc munus deligendum esse declararet. Natura enim ipsa dictare videtur, vt qui alijs officio ac dignitate præferri debet, cæteros vitæ splendore anteceat: què admodum pastor grege suo præstantior, & dux milite suo fortior, & rex subditis suis debet esse sublimior. Qui ergo maiorem in pastore

store quam in ouibus charitatem ante electionem requisit, aperte docuit, digniorē sanctioremq; subditis esse debere, qui eis regendis atq; dirigendis præficeretur. Quomodo enim (vt D. Ambrosius ait) credam eum cōsilio superiorem, quem videam moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me committere paro. ¶ Vt verò apertissimis rationibus rem satis per se quidem exploratam illustremus, eligere dignū, digniore prætermissa, omnibus iustitiæ legibus aduersatur, tam eius quæ commutatiua, quā quæ dīstrubutiua nominatur. Distributiua enim iustitiā præcipit, vt officia publica pro ratione meritorum distribuātur: ne dignioribus minus digni in officijs publicis præferantur: In dignum enim est, vt digniores quidem esuriant, & in obscuro lateant, minus verò digni rebus omnibus affluentes, in fori luce versentur. Quod sanè sine personarum acceptione esse non potest: quæ personas respicit, non causas: & plus fauore & gratia, quā meritis commouetur. ¶ Peccatur etiam hic contra leges commutatiuæ iustitiæ. Cū enim populus suas sibi opes & liberis suis subtrahat, vt stipendia publica paret, quibus vigilantissimi sibi præsules præficiantur:

Concio

si tu, cuius fidei hæc electio credita est, cum stipendia habeas locupletissima, quibus vigilantissimum pastorem præficere possis, non tantæ publicæ quàm priuatæ utilitatis, cōsanguinitatisve rationē habeas, atq; alienis stipēdijs tibi magis quàm illis consulere velis, an non abuteris fide & potestate tibi cōmissa? an non in publica cōmoda peccas, & iustitiæ sanctissimas leges violas, qui opes tibi ad Ecclesiæ utilitatem creditas, in tuam tuorumq; utilitatem priuata ratione conuertis? Sicut enim est medicus medico præstantior, & Theologus Theologo doctior, & miles milite fortior: ita est pastor pastore vigilantior. Quisquis ergo largo stipēdio suscepto, quo optimum aut medicum, aut magistrum, aut militem conducat, minus bonum eligit, quoniã aut consanguineus, aut familiaris, aut seruus est: an nō aliena furatur? & in se suosq; refundit, quæ aliorum sunt? Quòd si hunc cōtra iustitiæ leges facere existimamus, quid de illo iudicabimus, qui suas rōnes Ecclesiæ cōmodis, ad Dei cultum & gloriam, communēq; hominum & æternam salutem pertinentibus, atelerat? ¶ Duo enim sunt quæ permouere solent homines ad diligenter seruanda curandaq; ea quæ ipsorū fidei cōmissa sunt: nempe aut ipsarum pretium aut periculum.

Quò

Quò enim res pretiosior est, eò solet diligentius adseruari: & quæ in periculo maiori versatur, cautius etiam custoditur. Quid vero animarum salute pretiosius, pro quibus Dei filius, hoc est, Dei virtus, & Dei sapientia, nõ dubitauit vitam suam & sanguinem fundere? Quid maioribus periculis obnoxium, quàm ipsa salus animarum, cum militia sit vita nostra super terram, cum hostibus vndiq; telisq; cingamur, cum inter dracones & scorpiones versemur, cum circumstet nos vndiq; peccatum? Hinc enim illud est quod ipse Dominus ait, arctam esse viam quæ ducit ad vitam: & paucos esse qui per eam ingrediatur: & multos quidem esse vocatos, paucos vero electos. In mari Marsiliæ (inquit Bernard.) ex decem nauibus, vix vna aliqua periclitatur: at in mari huius seculi, ex decem animabus, vix vna seruatur. Deniq; inter omnia mundi pericula, cedo mihi aliud præsentius maiusq; quam animarum periculum? & inter omnia quæ in pretio habentur, quid quæ so mihi pretiosius designabis? Quid aurum, quid gemmæ, opes, imperia, vniuersa deniq; quæ totius vniuersitatis ambitu cõercetur, si cum animæ vnius dignitate conferantur, an non tenuissimæ stipulæ, abiectissimo pulueri, vmbraeq; inanissimæ similia esse videntur?

*Mat. 7.**Mat. 22.*

buntur? Si igitur & de re omnium pretiosissima, & de periculis omnium grauissimò agitur, quomodo prætermisso diligētissimo & optimo eius custode & curatore, minus idoneum illi præficias? Agè dum, si regis cuiusuis salus periclitaretur, an excellētissimis atq; peritissimis medicis contemptis, vulgaribus illum committere auderes? Si valida tempestate iactatus, mors tibi ante oculos versaretur, prætermisso ne sapientissimo & experientissimo nauclero, clauū vulgaribus cōmisisses? Si tota item Reip. salus ex vnius fortuna belli penderet, & haberes strenuos quidem imperatores, vnum verò inter eos facile principem, & in militari disciplina lōgè peritissimum, an non hoc tempore ratio ipsa & natura dictaret, vt in summo rerum cardine atq; periculo ad summa & maxima remedia confugeres? Quis hoc mentis cōpos negare possit? Quis in eiusmodi casibus si male res cederet, nō culpam omnem in eum conijceret, qui aut præstātissimum medicum, aut vigilantissimum nauclerū, aut sapientissimū imperatorem, cū facile posset, nō aduocaret? Quid verò hæc omnia sunt, si animarū & Ecclesiæ saluti comparètur: nisi aut somnia quædā, aut merè nugæ? Si ergo in his prouidendis ita nos cōmunis

nis sensus & ratio naturalis instituit, vt in sū-
 mis negotijs atq; periculis, summa item re-
 media conquireremus, quid in re omniū ma-
 xima atq; grauissima nos facere par est. ¶ Cu-
 ius rei cum multa quidē & præclara exēpla
 adduci possint, nullū tamen aut maius, aut
 illustrius est, quam ipsius Dei opt. max. qui
 cum Ecclesiæ suæ providere pontificem &
 pastorem voluisset, eum elegit, quo neq; in
 cælo neq; in terra vllus erat dignior: nempe
 vnicum filium suū, quem nō modo autorē
 salutis nostræ, sed etiam pōtificē, summūq;
 sacerdotem in mundum destinauit: cū tamē
 alios ad hoc ipsum delegare potuisset. Quod
 idem ipse filius per *Esaiā* significauit dicēs,
Esai. 43. Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tu-
 as propter me. Vbi alius interpretes euidētius
 verit, Ego, ego ille ipse sum, qui deleo, &c.
 Vt apertē intelligas nulli alij medēdi pecca-
 tis nostris curam creditam fuisse, quam ipsi
 vnigenito filio Dei. Quod explicatius adhuc
 per eundē Prophetam alibi expressit dicēs,
Esai. 63. In omni tribulatione eorum non est tribu-
 latus: & (vt alius vertit interpretes) nō legatus
 aut angelus, sed ipse saluauit eos, et porrauit
 eos cunctis diebus seculi. Si igitur Deus pa-
 ter tanti animarū nostrarū salutē fecit, vt cū
 angelos, aut archangelos, aut sanctissimos

patres ad hoc destinare potuissent, omnibus
 his prætermiſſis, eū elegit, quo dignior esse
 aut cogitari nemo potest: qua quælo fronte
 tu in vicarium & successorem superni huius
 pontificis indigniorem eligas, cum possis eli
 gere digniorē? Cur minoris facias, minusq;
 charam ipse habēas salū em tuam, quam ille
 habuit, ad quem nihil salustua pertinebat?
 Deniq; quid super hac re Concilium Tri
 dentinum definerit: quanti; hoc nego
 tium fecerit, audiamus. Eius verba sic ha
 bēt. Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus pro
 uidenter scienterq; curandum est, vt in Do
 mini domo nihil sit inordinatū, nihilq; præ
 posterum, multò magis elaborandum est, vt
 in electione eius qui supra omnes gradus cō
 stituitur, non erretur: nam totius familiæ do
 mini status & ordo nutabit, si quod requiri
 tur in corpore, non inueniatur in capite. Vñ
 de, & si aliās sancta Synodus de promouen
 dis ad cathedrales, & superiores ecclesias nō
 nulla vtiliter decreuerit: hoc tamen munus
 huiusmodi esse cēset, vt si pro rei magnitudi
 ne expendatur, nūquam satis cautum de eō
 videri possit. Itaq; statuit, vt cum primum
 ecclesia vacauerit, supplicationes ac preces
 publicè priuatimq; habeantur: atq; à Capitu
 lo per ciuitatem & diocēsim indicātur: qui
 bus

De officio pastorali.

9

bus Clerus populusq; bonum à Deo. pasto-
rem valeat impetrare. Hortatur ergo & mo-
net eos omnes quorum hoc negotium inter
est, vt in primis meminerint, nihil se ad Dei
gloriam, & populorum salutem vtilius pos-
se facere, quàm si bonos pastores & Ecclesie
gubernandæ idoneos, promoueri studeât:
eosq; alienis peccatis communicantes mor-
taliter peccare, nisi quos digniores, & Eccle-
siæ magis vtilis ipsi iudicauerint; non quidē
precibus, vel humano affectu, aut ambiētū
suggestionibus, sed eorum exigentibus me-
ritis, præfici diligēter curauerint. Hęc ibi. Ve-
rum de his hætenus: abunde enim ista suffi-
ciunt, vt intelligamus quales Episcopos eli-
gere teneamur.

Ceterum quod de Episcopis diximus, idē
etiam de inferioribus prælatis, hoc est, priua-
tarum Ecclesiarum rectoribus, intelligendū
est: Cū enim in vtrosq; (quanuis di(simili ra-
tione) pastoris nomen cadat, eadem etiam
eligēdi ratio vtrobiq; seruāda est. De vtrisq;
enim verum est quod Sapiens ait; *Qualis re- Eccl. 10.*
ctor ciuitatis, tales & inhabitantes eam. Ce-
lebris enim Philosophorū sentētia est, quod
omne agens agat sibi simile. At huiusmodi
rectores in ordine causarum agentium non
quidem naturalium, sed moralium, cōnume-
rantur:

rantur: ideoq; non mirum est, si quales ipsi sunt, tales etiam sint ij qui sub eorum potestate atq; ditione continentur. Non satis ergo est ad Ecclesiæ salutē vt Episcopi omniū dignissimi sint, sed dignissimos etiam oportet esse eos, quos in consortium & nominis & officij sui asciscūt. ¶ Sed quoniam in hac potissimum re salus Ecclesiæ sita est, nō gra uabor, quibus ad hoc rationibus Episcopi teneantur, paucis cōmemorare. Dupplici ergo nomine ad hoc tenentur. Primū ratione vtilitatis, deinde necessitatis. Vtilitas quidē hac ratione p̄spicitur. Episcopus enim quālibet vigilās & prouidus sit, vnicus tamē pastor est: vnus autem pastor, quomodo sufficiet tot ouium gregibus pascendis, procurādis, atq; tuendis? Vnus operarius, quomodo sufficiet tot vineis fodiendis, pastinādis, atq; p̄tandis? Vnus deniq; in bellō dux, quāuis strenuus, militum tamen p̄sidio destitūtus, quid aduersus adunati exercitus agmina poterit? Itaq; sine duce milites, aut sine militibus dux nihil sane magis p̄stebunt, quā aut sine capite membra, aut sine ministerio membrorum nudum caput. Quam ergo populis vtilitatem vel spectatissima Episcopi probitas allatura est, bonorum ministro-

rum presidio distituta? Vnus (inquit Sapiens) quomodo calefiet? imo verò vnus quam libet ipse caleat, quomodo tot argentia hominum pectora calefiet? Eget ergo Ecclesię dux militibus strenuis, quorum opera aduersus diaboli machinas & fraudes muniatur: sine quibus ipse per se aut nihil, aut certè parum proficiet. Debet ergo vnde cunq; potuerit viros probos in laboris operisq; sui consortium diligentissimè cõquire re, prudentissimè explorare, & liberalissimis præmijs inuitare, exemplo Saulis regis: de quo Scriptura memorat, quòd vbicunq; audisset esse fortè aliquem strenuumq; militem, protinus ad se vocabat, sibiq; iungebat: quo factum est, vt talibus viris exercitu confirmato, magnas hostium strages ederet: ita vt Israeliticus populus, qui turpiter antè Philistæis seruierat, erigere se cæperit aduersus eos. Si igitur tales Episcopus habuerit cõmitones, intelligat sanè fructum laboris sui numero militum parem futurum. Ita si triginta fuerint, si sexaginta, si centum, fructus quoq; centesimus respondebit: quo enim plures erunt operarij, eo maior laboris huius fructus pariter cõsequetur. Quid verò ad Ecclesię decorè
splendidus

Eccle. 4.

I. Re. 14.

Concio

Matth. 7.

splendidus, vel ad iustitiam honestius, vel ad famam Episcopi gloriosius, quã optimis ministris velut optimis ducibus Ecclesiam Dei communiri? Quid nõ benè à bonis ministris curabitur? quid à malis nõ malè? Nũquid enim (vt Saluator ait) colligũt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, bonos fructus facit: mala autẽ arbor, malos fructus facit. Neq; enim effectus à sua causa degenerare solet: illam enim exprimit, illam refert, illam (vt ante diximus) imitatur. ¶ Cæterum necessitas præficiendi melioris adeo magna est, vt vix vllò scelere diuinum numen offendi grauius, aut Ecclesia lacerari truculẽtius possit, quàm si prætermisiss dignioribus huiusmodi ministeria indignis, minusve dignis conferantur. Quis enim ferat (inquit Aug.) eligi diuitem ad sedem honoris & gloriæ, contempto paupere instructiore & sanctiore? Hoc enim est accipere personam, quando non causa sed persona respicitur: quando quod non causa non est, vt causa sumitur: quando aut affectibus, aut muneribus, aut precibus, aut cupiditatibus seruitur: & id valet quod erat cõtemnẽdum, id contemnitur quod erat sequẽdum. In quo quidem crimine. multiplex sanè reatus inuenitur. Præterens enim indignum (inquit

(inquit Adrianus) reus est omnium animarum quæ ob eius indignitatem periclitantur, reus est omnium flagitiorum quæ ex hoc crimine consequuntur, reus denique omnium aut eleemosynarum, aut aliorum bonorum quæ boni rectores studio atque opera perficerentur. Quemadmodum enim qui aut imperitum medicum, aut nauclerum, aut ducem, aut pastorem præficit, reus est omnium damnorum quæ ex horum ignorantia aut socordia consequuta sunt: ita planè qui indignum eligit in Ecclesiæ ministrum, omnium malorum consequentium reus est. Omnia enim hæc & nomina & officia cuiuslibet Ecclesiæ ministro simili ratione conueniunt. Nam & medicus est, qui spiritualibus animarum morbis mederi debet: & nauclerus, qui clauum tenens, id est, animarum regimen & ministerium uerbi Dei, per huius fluctuantis seculi undas, fideles dirigit nauigantes: dux etiã est, qui aduersus aciem Diaboli spiritualibus armis munnit milites Christi: pastor quoque est, qui ad caulas æternæ uitæ gregem Domini deducit, pabulo doctrinæ sustentat, & à luporum rabie tuetur. Omnibus ergo his nominibus appellatur: quæ tanto sunt insigniora, quanto anima corpori præstat, & cœlestia terrenis antecellunt. Si igitur qui in illorum ministeriorum

1. Re. 22.

riorum electione personas respiciēs, & causam negligens, reus omnium malorum consequentium esse dicitur, quo quæso reatu tenebitur, qui tot animarum reus apud Deum est, quot seruare dignior potuisset, si illis præfectus esset? Quis vero adeò obtusi cordis est, qui nō animo discrucietur, si se fortassis huius tanti criminis reum agnoscat? Cū ad Dauidem Abiathar sacerdos amissis iniuria & crudelitate Saulis parentibus ac fratribus in desertum profugus peuenisset, ait ad illum Dauid, Ego sum reus omniū animarum patris tui: nimirū quia neq; volens, neq; animaduertēs, in causa fuerat, vt Saul præcipiti quodam furore percitus, inuidiaq; sty mulatus, sacerdotes Dñi iugularet. Quid ergo dicet qui & sciens, & volēs, & affectibus suis aut amicorum seruiens, contemptis dignioribus, præficit indignos: ex quorum indignitate tot pereuntium animarum strages consequuntur? Quòd verò omnia mala hæc in electoris caput recidant, audi Hiero. dicentem, De aſſeclis suis ordinantes, & vitā eorum in scandalum populi exponentes, rei sunt infidelitatis eorum qui scandalizantur. Idem etiam Hieronymus ob hoc ait, Mosē noluisse filium suum principatus sui successorē relinquere: sed alienum & ex alia tri
 bu

bu instituisse: vt sciremus principatum in
 populo non sanguini deferendum esse, sed
 vitæ. At nunc plures videmus in confe-
 rendis beneficijs non ad hoc tendere, vt eos
 in Ecclesiæ columnas erigant, quos intel-
 ligunt magis profuturos: sed quos vel ipsi
 amant, vel quorum sunt obsequijs delini-
 ti, vel pro quibus maiorum quispiam ro-
 gauit & (vt deteriora taceam) qui vt cle-
 rici fierent, muneribus impetrarunt. Haste-
 nus ille: ¶ Quoniam verò abusus hic vehe-
 mentissimè semper Ecclesiæ nocuit, Con-
 cilium Basylense huic tanto malo occur-
 rere volens, summum quod humana ratio-
 ne excogitari poterat remedium (malitiæ
 tamen hominum obnoxium) opponere vo-
 lens, pragmatica sanctione decreuit, vt ele-
 ctos ministrorum Ecclesiæ decantata pri-
 us Missa Spiritus sancti, post sacramen-
 talem peccatorum confessionem, & vene-
 rabilis Eucharistiæ sumptionem, in mani-
 bus præsidentium huiusmodi se iuramen-
 ti religione constringerent, Ego N. iuro &
 promitto omnipotenti Deo, & Sancto vel
 sanctæ, cuius nomini dicata est hæc Eccle-
 sia, eum eligere, quem credam futurum esse
 in spiritualibus & téporalibus meliorè: nec
 illi vocis meæ suffragio patrocinari, quæ veri
 similiter

similiter sciuerō promissione aut collatione
 alicuius rei temporalis, seu prece, per se vel
 aliū interposita, aut aliās qualitercūq; dire-
 ctè vel indirectè, sibi electionem procurasse.
 Et quanuis decretum hoc non obliget, no-
 tum ius inducēdo, declarat tamen quid hoc
 nostro calamitosissimo seculo (quando fi-
 des nutat, & omnis iustitia atq; virtus exu-
 lat: solaq; externa bona petūtur) pastoribus
 Ecclesiæ necessarium sit, vt tanto discrimini
 occurrant. ¶ Quicumq; igitur pastor rectè sa-
 pit, qui salutem Ecclesiæ suæ supra omnia
 charam habet, qui tot animarum iacturam
 sibi à Domino imputari refugit, qui gloriā
 Domini sui cuius personam gerit supra o-
 mnia diligit, quiq; animæ suæ salutem alio-
 rum commodis aut lucris anteferendam pu-
 tat, exhibeat sē hac in re veluti murum æneū,
 & columnam ferream, imo & adamantinā:
 ne aut adulantium vocibus, aut famulantiū
 obsequijs, aut consanguineorum affectibus,
 aut amicorum precibus, aut principum gra-
 tiæ cedens, tam grauiter Ecclesiam lædat, vt
 indigniores præferat dignis. Adeò enim au-
 ri sacra fames, adeò auaritia & ambitio hu-
 mana pectora obsederunt, vt non tot arietibus
 milites quatiāt mœnia hostium, quot
 miserū Episcopi pectus homines expugnāt,
 vt ab

vt ab eo tandem quod cupiunt extorqueát.
 Neq; enim tantum aut honoris, aut prouen-
 tus ex victoria milites petunt, quantum ex
 pinguiori aliquo bñficio: quo nō modo qui
 adeptus est, sed tota interim eius familia &
 alitur & honoratur. Quid ergo mirū si ma-
 iori impetu in pectus Ep̄i irrumpant, quos
 maior extymulat cupiditas, & qui maiores
 ex hac victoria quàm ex illa fructus præsto-
 latur. Si ergo timore pariter & amore Dei,
 metūq; gehennæ non fuerit velut adamanti-
 nis seris munitum pectus Ep̄iscopi, quomo-
 do tot tantisq; machinis queat obsistere?
 Quisquis igitur sic instructus est, D. Chry-
 soltomum audiat ita monentē. Sit Ep̄isco-
 pus seuerus, sit mitis & humilis; sit liber &
 vehemēs, sit etiam mansuetus & constās: vt
 eum quem dignum esse viderit, cum multa
 potestate siltat, etiam si vniuersi obstiterint:
 indignum verò, etiam si multorum suffra-
 gia eum prosequantur, cum eadem autorita-
 te respuat: nihil aliud respiciens nisi ædifica-
 tionem Ecclesiæ: nec quicquam faciat odio
 vel amore. Verum de his hæcenus. Nūc ad
 aliud quod secundo loco mihi proposuerā,
 transeundum est.

C

secunda

Secunda pars.

Proximum enim erat ut deinde quaereremus (id quod est huius causæ caput) quæ res potissimum sint, quæ hominem hoc tanto munere dignum, hoc est, optimum pastorem efficiât. Et quidem M. Tullius cum de optimo Imperatore deligendo, differeret; Ego, inquit, sic statuo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere; virtutem, scientiam rei militaris, auctoritatem, felicitatem. Apud quidem ille quæ optimi imperatoris præcipuæ partes esset cõplexus est. At nos non eum hic imperatorem describimus, qui ab armorum incurSIONIBUS civitatem tueri, hostium impetum propulsare, ac invene intruere debeat: sed eum, qui nobis spiritalis dux & antesignanus ad tertius principes huius mundi, & pates tenebrarum harum (quibuscum continenter bellum gerimus) hoc est Episcopum, futurus sit. Ideoq; non admodum dissimilis descriptio boni pastoris ac imperatoris esse debet. In quo optime cõstituendo, quinque mihi necessaria esse videntur, nempe vitæ sanctitatem, prudentiam, & in rebus gerendis diligentiam, fortitudinem, atq; scientiam: ex quibus velut fontibus, cætera virtutum officia quæ

etia quæ in eo requiruntur, emanant. De his igitur suo iam ordine disseramus.

I.

PRIMO igitur loco sese sanctitas vitæq; innocētia offert: quod vel ex his Domini verbis (quæ initio proposuimus) satis apertè colligitur: qui cum de meritis eligendi pastoris ageret, cæteris omnibus silentiò prætermisissis, vnâ exigat charitatem, & ita exigat, vt non semel interrogasse contentus, iterum atq; iterum eandem repetat charitatē. At vbi charitas est, ibi & sanctitas omnis ac vitæ puritas est: adeò, vt quantum quisq; habeat charitatis, tantumdem habeat & virtutis. Ait enim Bernar. super Cant. Quantitas vniuscuiusq; animæ æstimatur ex mensura charitatis quam habet: vt verbi gratia, quæ multum charitatis habeat, magna sit: quæ parua, parua: quæ verò nullâ, nihil omnino sit, dicente Apostolo, Si charitatē nō habuero, nihil sum. Qui ergo ante omnia charitatē exigat, in qua summa sanctitatis est, vtiq; sanctitatē primo loco exigat. De qua etiâ in cōcilio Tridentino ita monentur Ep̄i. Nihil est quod alios magis ad pietatē, et Dei cultū assidue instruat, quâ eorū vita & exēplū qui se diuino ministerio dedicarūt. Cū enim a reb⁹ seculi in altiorē sublati locū cōspiciātur, i eos

*Sanctitas
Episcopi
qualis.*

*Bernard.
sup Cant.*

tanquam in speculum reliqui oculos. conij-
 ciunt, ex ijsq; sumunt quod imitentur. Quæ
 propter sic decet omnino clericos, in sortem
 Domini vocatos, vitam moresq; tuos com-
 ponere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, a-
 lijsq; omnibus rebus, nil nisi graue, modera-
 tum, ac religione plenum præferant: leuia
 etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, ef-
 fugiant: vt eorum actiones cunctis afferant
 venerationem. ¶ Hæc igitur sanctitatis præ-
 stantia, facile colligitur ex statu, nomine, &
 officio Episcoporum. Ex statu quidē, quia
 in perfectissimo Ecclesiæ statu atq; ordine
 constituti sunt. Apostolorum .n. successo-
 res sunt & vicarij: quos in summo Ecclesiæ
 cardine positos esse Apostolus ipse describit.
 Et quāuis status monachorum, eorum præ-
 fertim qui arctissimum viuendi genus profi-
 tentur, sublimis in Ecclesia sit, sublimior ta-
 mē est status Episcoporū: & quō sublimior,
 eō debet esse sanctitate præstantior. Mona-
 chi enim vel ipsi etiam Carthusiani, ad quos
 ex cunctis monachorum ordinibus trāsitus
 patet, ad perfectionem solum tēdere tenen-
 tur: Episcopi autem (quod ad status sui na-
 turam attinet) non ad perfectionem tende-
 re, sed in ipso iam perfectionis culmine po-
 sitos esse decet. Ita enim diuina prouidētia
 comparatū

comparatum est, ut quemadmodum corpora cœlestia (quæ cæteris corporibus regendis proposita sunt) tantum alijs pulchritudine, nobilitate, & diurnitate, quantum officio, excellent: ita necesse est, ut qui homines in Ecclesia cæteris hominibus regendis præficiuntur, quantum eos superant honore, tantum vitæ meritis & sanctitate præcellant.

¶ Idem etiam ex ipsorum nomine colligitur. Pastores enim eos Dominus hac trina interrogatione appellavit, quibus pascendi oves officium in Petro commisit. Quid ergo ex eorum nomine sequitur, nisi quod D. Greg. ait, Tantum debet actione populi actio transcendere præfulis, quantum distare solet a grege vita pastoris? Oportet enim ut metiri se se sollicitè studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringatur: sub cuius æstimatione populus grex vocatur. ¶ Idem etiam ex officio pastorali facile cognoscitur.

Officium enim pastoris est cooperari Deo ad salutem animarum, dum aut malos reuocat à malis; aut bonos reddere studet meliores. Est ergo munus hoc excellentissimum, & supra omnem humanam facultatem positum, superno tamen Dei dono Episcopis commissum. Quid enim aliud aut optabilius, aut magis ad salutem necessarium, quam artifi-

*Grego. in
Pastora.*

ces in Republica christiana esse, qui ex malis hominibus bonos, aut bonos ipsos reddat meliores? Qua ergo sanctitate pollere necesse est, qui sanctitate sua alios sanctos efficere debeat? Sal enim, qui cætera salire solet, salissimus est, & ignis qui corpora frigida calefacit, calidissimus, & mel quo cibos dulces facimus, dulcissimum sit oportet. Quisquis ergo alios sanctos efficere debet, sanctissimus sit, necesse est. Constat etiam ita esse natura cõparatũ, vt omne agēs, agat sibi simile: homo enim generat hominẽ, equus equum, & ignis ignem. Quod non solum in ijs quæ à natura, sed in ijs etiam quæ ab arte efficiuntur, videre est. Pictor enim esse debet, qui aliũ pictorem faciat: & philosophus, qui philosophum: & musicus, qui musicum. Sanctus ergo in primis esse debet, qui alios efficere debet sanctos, cũ nemo alijs dare possit, quod ipse non habeat. Neq; vulgari aliqua, sed eximia atq; excellenti sanctitate, opus est, vt alios tui similes efficias. Semper enim effectus in causa sua eminentior atq; viuacior est: vt fulgor ipse syderum, qui à Sole dimanat, longè splèdidior in ipso Sole, quàm in astris est. Ergo maxima sanctitate fulgere debet is, qui velut Sol quidam sanctitatis, in omnes alios tãquã sydera quædã, sanctitatis suæ

suæ radios emittere debet: quicquid tāta fulgeat
 factitate, ut de eius plenitudine oēs accipiāt.
 Unde cū in lege veteri Dñs aquas expiationis
 & cineres vacæ rufæ ad purificationē homi-
 nū designasset, mun⁹ tamē hoc mūdus homi-
 nibus cōmisit: ut sic mūdus lustraret, immū-
 dū, & ita demū emūdaretur. Vides ergo quo
 modo mūdū esse oportet qui aliorū sordes
 debeat expiare? Rectē enī Ecclesiasticus ait,
 Ab imūdo quis mūdabitur? Cui simile est il-
 lud Gre. Manus sordida aliā nō lauat: & ocy-
 lus plen⁹ puluere, maculā nō cōsidrat: ita mū-
 dus debet esse qui vult aliena corrigere. ¶ Si
 quis autē corripiedi officiū suscipit, qui mul-
 ta in se habeat correctiōe digna, is cōtra se ha-
 bet Apostolū horribiliter intonatē. Si tu, in-
 quit, confidis te ipsum esse ducē cæcorū, lu-
 men eorū qui in tenebris sunt, eruditorē in-
 sipientiū, magistrū infantium, habētē formā sci-
 etiæ & virtutis in lege: qui ergo aliū doces, te
 ipsū nō doces? qui prædicas nō furādū, fura-
 ris? qui dicis nō mœchādū, mœcharis? qui abo-
 minaris ydola sacrilegiū facis? qui in lege glo-
 riaris, per præuaricationē legis Deū inhon-
 ras? ¶ Quæ cū ita sint, cū Ep̄us tot nominib⁹
 factitate te debeat ceteros atēire, quid magis
 aut p̄posterū, aut indignū, quā in tā insigni
 dignitate viles atq; vulgares mores dephēdi?

Nan. 19

 Eccli. 24.
 Gre. 10.
 lib. 7.

Rom. 27

Leui. 21.

Hoc enim illud est quod acriter in lege Dominus prohibuit, cum iussit ne summus sacerdos scortum & vile prostibulum duceret uxorem. Is enim scortum ducere dicitur, qui communem omnium vitam, & vulgares populi mores & opiniones conlectatur: scortum enim omnium communis uxor est. Vehementer enim indignum est, ut communis sit vita eius, cuius est dignitas singularis. Nihil uero est vel ad perniciem Ecclesie nocentius, vel ad decorem monstruosius, vel ad publicam salutem infensius, quam si is qui omnes dignitate preit, non oribus & uita subsit. Quam quidem indignitatem appositissimis uerbis D. Bernardus ad Eugenium testatur hoc modo: Monstruosa (inquit) res est, gradus sumus, & animus infimus: sedes prima, & uita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: uultus grauis, & actus leuis: caput canum, et cor uanum: facies rugosa, & lingua nugosa: ingens autoritas, & mutas stabilitas. Ex quibus plane uerbis apparet, nihil in Ecclesia Dei esse indignius, quam si is qui in summo rerum cardine constitutus est, uulgari uita sit preditus: & terrena sapiat, qui ceteros a terrenis abstractos, ad caelestia rapere debuisset. Quod quidem monstrum acerbius idem

Bern. ad Eugenium.

Bernar.

Bernar. ac fufius alio in loco inſectatur, tra-
 ctas illud Prouerb. 25. Cælum furfum, & Bern in
 terra deorfum, &c. vbi ait. Negligentiã præ expofitio
 latorum tantam deordinationem & confu- nere regula
 ſionem induxit, quod in eis eſt terra furfum, S. Benedi
 & cælum deorfum: pedes fupra caput, facies etti, parte
 retrò, & interiora extra effuſa ſunt. Deus ibi 3. cap. 7.
 conculcatur, & terra deificatur: diabolus ho-
 norifice recipitur, Deus vero contumelioſè
 repellitur. Quæ quidem horrenda monſtra,
 ita ibidè vir ſanctus exponit. Terra (inquit)
 furfum eſt, & cælum deorfum, vbi terrena
 cæleſtibus, & ima ſummis præponuntur. Pe-
 des ſunt fupra caput, vbi viri ſpirituales de-
 ſpiciuntur, homines verò terrena ſapientes,
 & ad ſolum regimè temporalium vtilis, in
 honore habètur. Facies eſt retrò, cum in o-
 peribus quæ videntur bona, potius vtilitas
 terrena intenditur, quam merces interna. In
 interiora effuſa ſunt extrà, cum bona interna
 negliguntur, & exteriora diliguntur; Deus
 verò conculcatur, & terra deificatur, vbi de-
 ficat charitas, & regnat cupiditas; Diabolus
 honorifice recipitur, & Deus contumelioſè
 repellitur, vbi raptores & uſurarij cū hono-
 re recipiuntur, & magnis expenſis procuran-
 tur: boni vero pauperes vel repulſam patiun-
 tur, vel malè procurantur. Habetis ergo pa-
 tres ex

tres ex his Bernardi verbis quot portenta ac
 monstra delornis vnus pastoris vita partu-
 riat. Error enim in eo qui præest, & omni-
 bus in exemplum propositus est, non potest
 non plures in cæteris qui ei subsunt errores
 parere. Quemadmodum enim si primus co-
 lestium orbiũ à solito cursu suo aberraret,
 necessariò omnia quæ in hoc inferiori mun-
 do sunt perturbarentur (vt pote quæ ab illo
 primo motu pendent) ita cũ Episcopus sit
 velut prima causa primusq; motor omnium
 quæ in Ecclesia fiunt, necesse est vt vitium
 quod in eo velut in prima causa est, per o-
 mnia Ecclesiastici corporis membra diffun-
 datur: vnde tot portenta oriuntur. Quo fit
 vt vnus crimen, subditorum omnium rui-
 na sit. Quod planè sanctus Propheta aper-
 tissimis verbis indicatur, cùm secundũ ver-
 sionẽ Hieronymi ait, In circuitu impij am-
 bulant, cùm exalati fuerint viliissimi filiorũ
 hominum. Quando n. hos regnare contige-
 rit, & clauum Reip. tenere, quid aliud nisi
 animarum naufragia, & malorum omnium
 abundantiam conloqui necesse est? Ex qui-
 bus on nibus aperte colligitur, quam neces-
 saria sit in magistris sanctitatis, vitæ sanctitas,
 quanq; monstruosa ac detestanda omnis ini-
 quitas: quod primũ est inter ea quæ ad opti-
 mum

Psal. 11.

num pastorem cōstituendum requiri supra memorauimus.

POST sanctitatem vero prudētia sequitur: quæ & ipsius charitatis & omnium virtutum auriga est: quam D. Bernardus ab instituto professionis suæ non recedens, virtutum abbatissam non incōmode nūcupauit. Ad ipsam enim pertinet virtutes omnes dirigere, mediūq; in eis definire, & ipsius etiā charitatis feruorem ne in furorē degeneret, velut freno quodā & temperamento coercere. Hæc autem virtus cū omnibus alijs, tū his qui principatum gerunt maximè necessaria est. Ad principem enim spectat ordinare, hoc est, homines ipsos conuenientibus medijs in suos fines dirigere: quod sapiētis atq; prudentis viri munus est. Vnde quemadmodum natura ipsa corporibus animatiū. oculos contulit, qui mēbra cætera certa ratione dirigerent, ita in corpore Reip. princeps, & in Ecclesia Episcopus instar oculorū sūt, qui cæterorū membrorū Ecclesiastici corporis actiones oēs ad certissimā diuinæ legis normam dirigere debent: ex quo etiam nomē ipsū Episcopi deriuatū est, Epūs enim Græca vox est, à cōtēplando vel speculādo deducta. Vndē speculatore vncat eū Dñs apud Ezechielē dicēs, Fili hominis speculatore ddi te domus

Prudētia
Episcopi

Ezechi. 3

Concio

domui Israel: Quę quidem prudentię virtus
adeo curam publicam gerentibus necessaria
est, vt hanc vnam Solomon (optione sibi à
Deo data petendi quod vellet) poposcerit:
qua populum sibi commissum regere & in
3. Reg. 3. officio continere posset. Quę sanè eius peti-
tio ita Deo placuit, vt non solum quam pe-
tuit prudentiam, sed opes etiam & gloriam
quas non petierat, cumulatisimè fuerit im-
partitus. Est enim hæc virtus adeo principi-
bus necessaria, vt eadem in libris Sapientię
Prou. 8. de se ipsa testetur, Reges oēs per se vnam re-
gium principatum tenere, & legum condito-
res iusta decernere. Ipsius numine principes
imperare, & qui autoritate plurimum valēt,
iustitię moderationem tenere. Et haud mul-
to post, virtutis huius vim idem Solomō
per eiusdem prudentię personam ita exagge-
rat, Audiens sapiens sapientior erit, & intel-
ligēs gubernacula possidebit. Et rursus, Ser-
uus sapiens dominabitur filiis stultis: & inter
fratres hæreditatem diuidet. Cumq; filius
natura superior sit, & seruus inferior, adeo
tamen potens est sapientia, vt ex seruo non
modo liberum, sed etiam liberis superiorem
Grego. in Pastora. faciat. Quamobrem merito D. Greg. aduer-
sus eos qui tantę huius virtutis præsidio de-
stituti, pastoris officium inuadunt, clamat
dicens,

dicens, Nulla res doceri præsumitur, nisi intentâ prius meditatione discatur. Ab impetritis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum? Quid enim ex hoc consequi necesse est, nisi quod à Domino dictum est, *Cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt.* Cæcitatem vero hanc Dominus tanquam maximum flagellum impijs per Prophetam cominatur dicens, *Ecce ego addam ut admiratio nem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapiëntia à sapientibus, & intellectus prudentium eius abscondetur.* Sine prudentia autem & intellectu, quid præclare poteris administrare, etiam si omnibus alijs virtutibus instructus sis? Hæc enim virtus ubiq; in literis sanctis fortitudi ni antefertur: quoniam efficacior est ad res gerendas prudenter excogitata ratio, quam quæcunq; siue potentia, siue fortitudo huiusmodi consilio destituta. Vnde scriptum est, *Ciuitatem fortium ascendit sapiens, destruxitq; robur fiducia eius.*

III.

POST prudentiam sequitur in rebus agendis diligentia, & pia quædam pastoralis curæ sollicitudo, quæ velut aculeus quidam est & stymulus scopi.

*Mat. 15.
31. 33.*

Esaiæ. 29

11. 13. 1

18. 30. 3

Prou. 21.

3. 30. 3

Diligentia

& solici-

tudo Epi

scopi.

Stimulus rerum gerendarum: quæ ad eò pas-
 toribus necessaria est, vt huius præcipuè mē-
 tionem fecerit Apostolus, cum officia singu-
 lis Ecclesiæ gradibus cōueniētia distribuēs,
 pastorī tribuit sollicitudinem dicēs, Qui præ-
 est in sollicitudine. Quam ipse vsq; ad eò re-
 tinuit, vt inter maximos labores, quos p̄ Dei
 gloria illustrāda, Euangelioq; amplifican-
 do perpeffus fuit, instantiam suam quotidia-
 nam, omniūq; Ecclesiarum Dei sollicitudinē
 cōnumerauerit. Cuius sanè illa sunt officia
 maximè propria, quæ mox explicauit, dicēs.
 Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis
 scandalizatur, & ego non vrer? Huius vero
 imaginem vigilās ille pastor nobis exhibuit,
 qui ex postulāti socero ait, Die noctuq; estu-
 urebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis
 meis. Si quid furto perierat, à me exigebas:
 ego damnum omne reddebam. Quòd si tan-
 ta cura materiales oues ab incurfu bestiarum
 peruigil pastor ser uare debet, quid quæso par-
 est vt rationaliū ouium pastor efficiat; quò
 eas ab incurfu & faucibus rugientium De-
 monum eripiat? Quam etiā curam satis
 quidem accurate Solomon sub fidei iussoris
 imagine depinxit, cum ait. Lili mi si spon-
 deris pro amico tuo, defixisti apud extra-
 neum animam tuam: illaqueatus es verbis
 oris

Rom. 12.

2. Co. 12.

Gen. 31.

Prov. 6.

Oris tui, & captus proprijs sermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neq; dormitent palpebræ tuæ: eruere quasi damula de manu, & quasi avis de insidijs aucupis: Quibus verbis videtur mihi Solomon pro dignitate curam pastoralis officij descripsisse. Videbat enim homo sapientia Dei plenus dignitatem animarum, intelligebatq; similem dignitati curam futuram: neq; dissimilem rationem de tam pretioso deposito exigendam: ac proinde tanta contentione curatorem excitat, urget, ac modis omnibus excitulat vt discurrat, festinet, suscitet amicum suum: hoc est, vt admoneat, arguat, obsecret, increpet, faciem commutet, & in omnes se vertat figuras, vt oves tandem quas sibi charissimas esse oportet, & amici nomine censentur, ad operandum, debitumq; religionis officium exoluendum, excitet, ac vigilare, & sibi prospicere faciat. ¶ Iungenda ergo est prudentiæ sollicitudo ac diligentia, sine qua prudentia ipsa manca esset & mutila. Quemadmodum enim natura, quæ homini animum & mentem dedit,

corporis

corporis etiam membra tribuit, quæ veluti quidam satellites ac famuli mentis decreta perficerent: ita etiam prudentiæ adhibenda diligentia est, quæ celeriter exequatur quid quid matura prudentiæ deliberatione sancitum fuerit. Alioqui cum prudentia non ad contemplandum sed ad efficiendum instituta sit, quid proderit optimam reperisse, si nihil tandem efficias? Quid autem excellentissimus in bello dux, aut experientissimus in mari nauta, aut medicus peritissimus utilitatis afferet, si quæ illi dictauerint, nemo exequatur? Quemadmodum enim non satis est audire legem Dei, nisi ea exequaris quæ ipsa lex præcipit: ita non satis est si prudentiam habeas, qua agenda discernas, si diligentiam non adhibeas, qua decreta perficias.

191
LIB. III.

*Fortitudo
de Ep̄i.*

SE D alium adhuc comitem prudentia desiderat, nempe fortitudinem. Frequenter enim prudentia definit ardua quædam propter virtutem esse aggredienda, manumque ad fortia mittendam: ad quod neque sola sufficit prudentia, neque pares habet vires diligentia, si fortitudinis præsidio destituta sit. Sæpe enim Ecclesiæ iura ab iniustis defendenda, sæpe amissa bona repetenda, permulta quoque potentibus viris quæ iniuste exigunt, neganda,

neganda, innumerabiliaq; multorum vitia vel obiurganda, vel rescanda sunt. Quid? quod cum hæreticis & hæreticorum fautoribus, & cum principibus sæpe viris decertandum est? Deniq; sicut ipse princeps pastorū Christus in petram offensionis, & in signū positus fuit: aduersus quem insurgeret mundus, & contra quem fremerent gētes, & principes conuenirent in vnum: ita quisquis locum eius tenet, & spiritū eius hausit, & munus exequitur, simile certamē se sciat esse subiturum. Ea enim carnis & sanguinis natura est, ea ad malum procliuitas, vt semper aduersus spiritum spiritualiaq; decreta tota virtute decertet. Deniq; in eo loco Episcopus constitutus est, vt verè in illum cadat quod olim de Ismahele dictum est, Manus eius cōtra omnes, & manus omnium contra eum: atq; è regione fratrum suorum figet tētoria. Quāta ergo ad hæc omnia fortitudine opus est? Nimirum tanta, quāta olim Prophetas Dominus armavit, cū eos ad obiurganda hominum flagitia mitteret. Quo quidē spiritu afflatus & armatus olim Micheas, ait, Ego autem repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio, & virtute, vt annuntiem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum. Hieremiæ verò Dominus ipse dicit,

*Luca. 2.**Psal. 2.**Gene. 16.**Miche. 3.*

D Ego

Concio

Ego quippe dedi te hodie in ciuitatē munitā, & in colūnam ferreā, & in murū æreū super omnē terram, regibus Iuda & principibus eius. Ezechieli vero dicit, Ecce dedi frontem tuā valentiorē frontibus eorum: vt adamantē & silicē dedi faciem tuā. Vide quē so qua fortitudine armatus erat, qui adamanti comparatur. Adamas enim adeò impetrabilis est, vt iētus malleo, magis ipsum malleum conterat, quā ab eo cōteratur. Qua mirabili fortitudine & inuictō robore, sancti Martyres & Prophetę vsq; adeò excelluerūt, vt non modo tormentorū iētibus nō cederent, sed illos etiam votis omnibus expeterent: sicut idem ille Hieremias expetebat dicēs, Propterea laborē & miserā inuocabo. Vt fortis. n. athleta, adeò labores pugnasq; non extimescebat, vt vel eas etiam vltro in certamen vocaret: sic enim hunc locū explanat Hieronymus. ¶ Hac fortitudine munit⁹ erat sanctus ille Thomas Cantuariensis Antistes, quando nullis neq; suis neq; suorū claudibus flecti potuit, vt iniquo regi Ecclesię iura inuadere cupienti, cederet. Hac erat armatus Ambrosius, quando Theodosiū imperatorem propter admissum scelus ab Ecclesię ingressu prohibuit, quando publicā pœnitētiam indixit, quādo extra cācellos chori

ad

Hiere. 1.
Ezech. 3.

Hiero. su
per Aba-
chuc. c. 1.

ad diuina stare fecit (quodq; his maius est)
 quando Imperatori Arriano bafylicas peten-
 ti, & mortem etiã minitanti, infracto animo
 restitit dicens, Tradere bafylicas non possũ,
 sed pugnare nõ debeo: quia nõ tradẽdas, sed
 seruãdas accepi. Quid vero Alexãdrũ Alexã-
 driæ antistitem, memorẽ? Nã & is Eusebij
 & Arrij potentissimorum hæreticorũ telis
 ac minis orando magis quam pugnãdo con-
 stantissimẽ restitit, vt Rusin⁹ autor est. Quid
 deniq; successorẽ eius Athanasiũ? cuius in-
 superabilem fortitudinẽ atq; constãtiã totus
 aduersus eũ concitatus orbis, superare non
 potuit? Quid verò in tantis rerũ fulminibus
 faceret Epũs, fortitudinis huius armis d̄stitu-
 tus? Nẽpe sine hoc tanto spũ, sine his armis,
 sine hac animi magnitudine, ruet equitas, in-
 nocẽtia iacebit, scalebit iustitia, integritas ob-
 solescet, & omnis Ecclesiastica disciplina si-
 mul cõcideret: dũ importunitati atq; tyranni-
 di impiorũ cedit inermis & imbecilla prudẽ-
 tia. Quod enidẽter planẽ D. Cyprianus in
 Epistola quadam ad Corneliũ Papã his ver-
 bis exprimit dicẽs, Quòd si ita res est frater,
 vt nequissimorũ timeatur audacia, vt quod
 mali iure & æquitate non possunt, temerita-
 te atq; desperatione perficiant, actum est de
 Episcopat⁹ vigore, & de Ecclesię gubernãdẽ

*Ruf. Hy-
sto. Eccle.
lib. I. c. 12*

*Cypri. in
Epist. ad
Cornel.*

Concio

sublimi ac diuina potestate: nec Christiani
ultra aut durare, aut esse possumus, si ad hoc
ventum est, vt perditorum minas atq; insi-
dias pertimescamus. Et mox, Manere debet
apud nos frater fidei robur immobile, & sta-
bilis atq; inconcussa virtus contra omnes in-
cursus atq; impetus oblatratorium fluctuum,
velut petrae obiacentis fortitudine & mole
debet obistere. Et rursus, Conuitia eorum
quibus se & vitam suam quotidie lacerant non
timeamus, fustes & lapides, & gladios, quos
verbis parricidalibus iactitant, non perhorre-
scimus: quod in illis est, homicidæ sunt apud
Deum tales, necare tamen non possunt, nisi
eis Dominus permiserit. Hæc est ergo forti-
tudo qua Episcopi pectus munitum esse de-
bet, vt ius, vt fas, vt innocentiam, fidemq;
tueatur, vt cum gregibus flagitiosorum homi-
num aduersus Ecclesie decreta pugnantium,
conflictetur: quam si non habeat, non ascen-
dat cathedram: quia huic tanto muneri im-
par est. Sic enim ait Sapiens, Noli fieri iudex,
nisi valeas virtute dirumpere iniquitatem.
Et apertius adhuc, Noli accipere ab homine
ducatum, neq; a rege cathedram honoris: ne
forte extimescas vultum potentis, & ponas
scandalum in agilitatem tuam. Rectissime
enim & grauissime à Seneca dictum est, Odia
qui

Ibidem.

Ecclesi. 7

Ibidem.

qui nimium timet, regnare nescit. Quauis enim (vt Sapiens quidam dixit) nullū supplicium sit grauius publico odio, hoc tamen supplicium propter Ecclesiæ salutem ac disciplinam retinendam, constanti & erecto animo subeundum est. Propter hoc ergo prudentiæ non modò diligentia, sed etiam fortitudo iungenda est: quæ decretis prudentiæ viam muniat, quoties arduum aliquid aggrediendum est. In quo etiam ipsius naturæ mirabilem rationem imitari debemus: quæ in appetendi potentia non modò vim concupiscibilem, sed etiam irascibilem velut satellitem armatum posuit: vt quoties arduum aliquid animus concupisceret, spiritum quoq; & impetū haberet generosum, quo in illud irrumperet: ne ex difficultate rei desperatio ne concepta, necessarijs ad vitam opibus natura destitueretur. Qua vi si aliquod animal orbatum nasceretur, non minus inter monstra referendum esset, quam si altero aut oculo, aut pede orbatum esset. Atq; hoc nomine appellare soleo eos omnes qui recta quidem cupiunt, nihil tamen aut ex inertia, aut ex infirmitate animi operantur: facile enim pronuntio eos spiritualia quædam monstra esse, quæ vim quandam habeant qua recta concupiscant, non autem qua viriliter aggrediatur

Concio

tur ea quæ rectè concupierunt.

V.

*Scientia
Episcopi.*

ULTIMO verò loco scientia necessaria est, quæ ipsam illustret ac dirigat in agendo prudentiam. Prudentia enim & scientia duo sunt velut oculi, quibus humana vita dirigatur & illustratur. Neq; enim aut ingenij lumen, aut naturalis prudētia per se sola sufficiunt ad humanarum actionum regulam constituendam: quæ non legibus nature solum, sed etiam diuini & humani iuris sancti onibus instituenda est. Rectè enim Cicero, Ut ager, inquit, quanuis natura fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic neq; sine doctrina animus. Vnde meritò illa sententia cōmendatur, Duplum quam alij vident, qui literas didicerunt. Deniq; Lactārius duabus rebus totius Christianæ philosophiæ summā credidit cōtineri, virtute scilicet, & scientia. Ait enim, Duo sunt, quæ simul efficiunt illud quod quæritur: scientia id præstat, vt quomodo & quò perueniendū sit, nouerimus: virtus, vt perueniamus: alterum sine altero nihil valet. Quæ quidē sentētia, nō ad Episcopos modò, sed in vniuersum ad oēs homines pertinet, quicunq; rectè vitā suā instituere volent. Qualis. n. si ne doctrina hominū vita esse poterit, à qua,
post

post diuinā gratiā opemq; cœlestem, omnia ad bene viuendum lumina præsidiaq; petenda sunt? Meritò enim Cicero sub Philosophiæ nomine in eius laudem exclamat dicens, O vitæ Philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorū, quid nō modò nos, sed omnino vita hominū sine te esse potuisset? Tu vrbes peperisti, tu dissipatos homines in societate vitæ cōuocasti: tu eos inter se primò domicilijs, deinde cōiugijs, tum literarū & vocū cōmunionē, iūxisti. Tu inuētrix legū, tu magistra morū, & disciplinæ fuisti. Tu vitæ trāquillitatē largita nobis es, & terrorē mortis sustulisti. Deniq; rogatus ipse summus inter philosophos Socrates, qd̄ ei animal pulcherrimū videtur, Homo, inquit, sciētia exornatus. Nulla enim fortuna est, quālibet humilis & abiecta, quæ doctrinæ splendore atq; ornatu non fiat illustrior.

¶ Quòd si infimæ sortis hominibus tātū doctrina splēdoris addit, quid eis præstabit, qui in excelso constituti, viuendi leges atq; iura cæteris præscribūt? Quis ergo nō videat quāto his doctrina magis necessaria sit? In literis n. (ait Chrysolog⁹) prudēs inuenit, vnde sapiētior fiat: tibi bellator reperit, vnde animi virtute roboratur: inde princeps accipit, quò populos sub æq̄litate cōponat: nec aliq̄ in mūdo

*Cicero. 5.
Tusc.*

Chrysologus in Epist. quadam.

Concio

potest esse fortuna, quam literarum non au-
geat gloriosa notitia. ¶ Quod si in omni for-
tuna (in ea præsertimque sublimior est) adeò
laudabilis & necessaria esse scientia perhibe-
tur, quanto in Episcopo laudabilior, qui ocu-
lus mundi est, & velut Sol quidam in Eccle-
siæ cælo residens, qui ignorantia noctem ab
hominum mentibus depellat? Neq; mirum
est, si Ecclesiæ solem Episcopum appellemus:
quando ipse Dominus, & lucernam super cæ-
delabrum positam, & lucem mundi Episco-
pos appellauit dicēs, Vos estis lux mundi.

Gene. 1.

Quemadmodum ergo Solem cæteraq; lumi-
naria initio mundi Deus in firmamento po-
suit, vt lucerēt super terram: ita in firmamē-
tō Ecclesiæ Episcopos quidem tanquam So-
les, alios verò doctores, tanquam cætera lu-
minaria & sydera ad illuminandas mētes ho-
minum designauit: vt lucē quam ipsi à Deo
receperunt, alijs impartiantur. Ita enim di-
uina sapientia cuncta disposuit, vt infima di-
rigat gubernetq; per media. Et in supremo
quidem rerum cardine Deus est, in imo autē
populus, medius verò atq; sequester (vt al-
ter Moyses) Episcopus est, qui locum illius
tenet, qui Dei & hominū mediator pro no-
bis factus est. ¶ Si ergo ad Episcopum perri-
net alios erudire, quomodo id, si doctrina

Dent. 5.

careat,

careat, præstare poterit? Sicut enim fieri nõ potest, vt Sol illuminet, si obscurus sit & caliginosus: ita neq; doctoris munere perfungi is poterit, qui ignorantie tenebris inuolutus fuerit atq; demersus. Quod si ita sit, quid ex hoc consequi necesse est, nisi id quod Saluator ait, Si lumen quod inte est, tenebræ *Matt. 6.* sint, ipsæ tenebræ quantæ erũt? Hac ergo de causa Apostolus Petrus iam iã moriturus, Clementẽ sanctissimũ virũ, & in omni ecclesiastica disciplina eruditum, pro se in Ecclesiæ pastorem suffecit: iussitq; vt idẽ Clemẽs hoc ipsum Iacobo fratri Domini, et Hierosolimorũ Episcopo litteris significaret. Nec veraris (inquit) ne fortè multum de meo exitu contristandus sit, cum id me pro pietate sustinere non ambigat. Erit autem ei grande solatium, si didicerit quod post me nõ imperitus aliquis, aut indoctus, aut ignorãs diuini verbi mysteriũ, & Ecclesiastici ordinis disciplinam, vel doctrinæ regulam nesciens, susceperit cathedram meam. Scit enim, quia si indoctus & inscius officium Doctoris accipiat, sine dubio discipuli & auditores ignorantie tenebris obuoluti, in interitũ demergentur. Hactenus verba Petri, q̄ Clemens ipse in Epistola ad Iacobum fratrem Domini refert: per quæ liquido cõstat quantopere *To. 1. Cõ cil. fo. 33.* animarũ

Concio

animarū curā habēti necessaria doctrina sit.
¶ Quid. n. est in officio pastorali, quod eius
Luce & splēdore non indigeat. Nam & ad di
judicanda dogmata fidei, & ad lites Ecclesie
dirimendas, & ad populū instituendū, & ad
quæstiones in rebus ambiguis dissoluendas,
ac deniq; ad discernendū inter leprā & non
lepram, ita scientia necessaria est, vt absq; ea
nihil magis possis definire, quam si oculis ca
ptus, velles de coloribus iudicare. Quocirca
Dominus Leuitas olim a cætera populi tur
ba separauit: quos ad ministerium tēpli, stu
diumq; diuinarum legum relictis omnibus
humanæ vitæ negotijs; destinauit: vt huic
studio semper intenti discerēt, quod postea
rudi populo traderēt. Quod cū alij reges,
tum maximè sanctus Iosaphat diligentissi
mè curauit: qui sacerdotes & leuitas per oēs
regni sui ciuitates dispersit: qui librum legis
in manibus tenētes, homines instituerēt, &
ad diuina præcepta informarēt. Quod exē
plū catholica Ecclesia imitata, in cōcilio Car
thaginēsi 4. instituit, vt Ep̄i alia quidē per a
lios officia ministrarēt, ipsi verò studio diui
næ legis, orationi, & prædicationi ab omni
bus alijs negotijs feriat, se totos addicerēt.
¶ Deniq; quā necessaria sit in Ep̄o scientia
atq; doctrina, defectus eius apertè declarat.
Maximū enim bonū esse necesse est, cuius sit

Num. 8

2. Par. 19

defectus maximū malū. Quale vero sit hoc malū, apertè indicat Esaias, ppheta: qui inter maximas populi calamitates hęc enumerat, qđ Dñs auferat à Iuda & Hierusalē senē, & cōsiliariū, & prudentē eloquij mystici. Cū enim Dñs ciuitatē illā & regnū ppter neglectam religionē & virtutē demolliri vellet, abstulit prius fundamēta atq; columnas oēs quib⁹ ciuitatis & regni salus nitebatur. Columnæ autē erāt cōsiliarij, & prudētes eloquij mystici: quibus sublatis, cū religione & prudētia ciuitas pariter esset interitura. Sublatō n. doctore atq; doctrina, neq; fides, neq; religio, neq; iustitia, neq; vllū in ciuitate p̄sidiū siue diuinū siue humanū reliquū erat. Satis igitur demōstratū esse puto, quā magna Ecclesię calamitas sit sacerdotū ignorātia. Quo circa sūma ratione in sacra Tridētina synodo decretū fuit, ne quis ad cathedrā Ecclesię deligeretur, qui nō esset sacris aut canonicis literis ita imbutus, vt vel iā Doctor laureatus, vel doctoris laurea dignus esset. Alioqui meritō Dñs quereretur, id qđ olim per prophetā cōq̄stus ē, Tenētes legē nescierūt me, & pastores preuaricati sunt in me. Terrenis enim cupiditatibus & negotijs implicati, qui legem Domini scire atq; docere debuerunt, vtrāq; curam cum discendi, tum docendi abiēcerūt. Quo quid esse potest indignius?

*Esaie. 3.**1. 1. 1. 1.**Hiere. 2.*

Concio

Ridiculosa (ait Sanctus quidam) res est, vel potius periculosa, speculator cæcus, doctor incius, præcursor claudus, prælatus negligēs, & præco mutus.

1. Cor. 8.

Sed quoniã ab Apostolo didicimus, quòd scientia inflat (non quidem suo, sed hominũ vitio: qui bonis sæpe rebus ad perniciẽ abutuntur) ideò danda opera est, vt hæc ipsa scientia humilitatis virtute condiatur, ne turgescat fastu, & autori suo noceat, quod alijs præsidio esse solet & saluti. Id quod D. Gregorius admonet his verbis, Summa cura prouidendum est, ne accepta sapiẽtia, cum ignorantix tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat: & iam sapientia esse nequeat: quæ & si locutionis virtute fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscuret. Deniq; vera & salutaris scientia nõ fastum, sed

Grego. in Moral.

dolorem nobis ingenerare debere prædixit

Ecclesi. 1.

Solomon, cum ait, Qui addit scientiam, addit & dolorem. Habet enim Sapiens oculos quibus veras rerum facies agnoscat: datq; semper operam ne falsa boni specie fallatur. Plurima enim sunt quæ (vt elegãter Poeta quidam dixit) geminas habent facies: foris alba, sed intus nigra: suo fallunt oculos spectata colore. Cùm ergo vir Sapiens non fallaci rerum specie ducatur, intelligatq; omnia ferè quæ

quæ oculis conspiciuntur, fucata esse atq; fallacia, & (instar libri illius, quem Ioânes in Apocalypsi Angelo tradente voravit) in ore quidem dulcia, sed in ventre paulo post amara esse: nihil in rebus humanis videt, quod non Heracliti lachrymis prosequatur: quod non funestum, fragile, calamitosum, et miseratione dignum deprehendat. Hinc est quod D. Gregorius ait, Vera scientia afficit, non extollit: nec superbiêtes quos impleuerit, sed lamentantes facit: qua quisq; cum repletus fuerit, priori loco se scire appetit: & iam sui conscius, tanto per illam robustius sapit, quanto se infirmum in illa verius recognoscit.

*Apo. 01.**Greg. in Moral.*

Hæ sunt Patres ampl. gemmæ & margaritæ præriosissimæ quæ in ornatu Põtificis præcipue nitere debent, quæ illum coram Deo & hominibus ornatissimum faciunt. Quibus si nobilitas & generis splendor accesserit, adeo ministerium hoc absoluitur, ut nihil in eo desiderari posse àplius videatur. Omnes enim hæ virtutes, ipsa nobilitate ne scio quo pacto nobilitantur. Si enim Poëtæ dicere licuit, quod gratior erat pulchro veniens in corpore virtus: quanto ea erit illustrior, si cum maiorum gloria, generisq; claritate iungatur? Neq; illustrior modo, sed
potè

Eccle. 7.

potentior etiam, atq; ad ecclesie commodi-
tatem vtilior? Sic enim Solomō ait, Vtilior
est sapientia cum diuitijs: & plus prodest vi-
dentibus Solem. Sicut. n. protegit sapientia,
sic protegit pecunia. Quod etiā elegāter in-
geniosus Poëta significauit dicēs, Haud fa-
cile emergūt, quorū virtutibus obstat res an-
gusta domi. Cōstat igitur plurimū accessio-
nis fieri his virtutibus; si ad eas & potētia &
nobilitas accesserint, quæ facultatis plurimū
ad res gerēdas, & autoritatis ad potētiiū vim
reprimēdā conferre solēt. Cæterū existima-
re solā nobilitatē ad hoc tantū munus pro
dignitate obeundū, sufficere, & in illa rerū
omniū summā collocare, eorū est, qui vitam
omnē in otio, luxu, atq; desidia traduxerūt,
nec vllis virtutū, aut literarū studijs animū
excoluerunt: quos Cleantes Phūs insignis,
vna tantum forma à brutis differre dicebat:
ideoq; cū his clarissimis ornamentis destitu-
ti sint, ad vnā nobilitatem gratis omnia refe-
renda esse arbitrantur.

VI.

*De præci-
puiis Epis-
coporū
officiis et
primū de
officio cō-
cionādi.*

CÆTERVM quoniā hæc generali-
ter dicta sunt, nec satis Ep̄i vitā describunt,
quæ suas habet actiones, quibus potissimū
nititur, dabitis mihi Patres āplissimi veniā,
si quæ præcipua eius officia sint, paucis atti-
gero.

gero. Scitis enim in doctrina ea quæ de moribus est, generales Canones, nisi ad specialia descēdas, parū esse vtilis audiētibus. Ex his igitur virtutibus quas hæctenus cōmemorauimus, tanquā ex fontibus, oīa officiorū genera quæ ad Episcopi munus pertinet (quæ & multa & varia sunt) hauriūtur. Nec enim tantarū rerū momenta, quibus animarū salus, & æterna vita cōtinetur, sine maximarū & pulcherrimarū virtutū officijs sustentari possūt. Inter quæ, primū ac principē locū sibi vēdicat munus cōcionandi: hoc est, mētes hominū densissimis ignoratiæ tenebris oppressas, illuminandi, & diuinis legibus informādi. Hoc inquā præcipuū Episcoporum munus est. Quæadmodū. n. in cœlesti illa hierarchia superiores angeli, illumināt inferiores: ita in Ecclesiastica, Episcopi (qui in supremo Ecclesiæ cardine cōstituti sunt) cæteros illuminare, diuinis legib⁹ informare, à vitijs ad virtutē auocare, & cōtinēter tanquā dominicæ gregis canes aduersus lupos, & tetra ac funesta vitia oblatrare debent. ¶ Quali vero vinculo ad hoc Episcopi astringātur, a pertissima similitudine Dominus apud Ezechielem indicat dicens, Terra cum induxero super eā gladiū, & tulerit populus terræ virum vnum de nouissimis suis, & constituerit

Eze. 33.

tuerit eum super se speculatorem: & ille vi-
 derit gladium venientem super terram, &
 cecinerit buccina, & annunciauerit populo:
 audiens autem quisquis ille est sonitum buc-
 cinæ, si nō se obseruauerit, veneritq; gladius
 & tulerit eū, sanguis ipsius super caput eius
 erit. Sonum buccinæ audiuit, & non se ob-
 seruauit, sanguis eius in ipso erit: si autē se cu-
 stodierit, animam suam saluabit. Quod si spe-
 culator viderit gladium venientem, & non
 insonuerit buccina, & populus non se custo-
 dierit: veneritq; gladius, & tulerit de eis ani-
 mam: ille quidem in iniquitate sua capt⁹ est:
 sanguinem autem eius de manu speculato-
 ris requiram. Et tu fili hominis speculatore
 dedi te domui Israel: audies ergo ex ore meo
 sermonem, & annuncabis eis ex me. Si me
 dñte ad impium, Impie, morte morieris: nō
 fueris locutus, vt se custodiat impius à via
 sua: ipse in iniquitate sua morietur: sanguinē
 autem eius de manu tua requiram. Hacte-
 nus verba Domini sunt. In quibus videtis
 Patres quali vinculo astricti sitis ad hominū
 scelera & flagitia obiurganda: hominesq;
 de salutis suæ periculis admonendos. Qui-
 bus verbis quid quæso dici potuit terribili-
 us? *Quis ad hoc periculum non expallescat?*
quis in dignitatis huius specula constitutus
 (quanuis

(quanuis innocētissimè viuat) de salute sua se omnino putet esse securū, cui aliena etiā crimina timenda sint? Et cum omnes in hac vita in summis periculis agamus (quæ tota vel tentatio, vel militia esse perhibetur) in quantis quæso periculis versabitur, qui non de vna solum anima, sed de tot animarū gregibus rationem redditurus est? Dormiebāt quidem Apostolicæteri instante Dñi passio-
ne, vnum tamen Petrum Dominus arguit dicens, Symon dormis? Aliorum enim somnus Petro imputatur: quippe qui in tanto fidei rerumq; omnium discrimine, non vigilare modo, sed alios etiam ad vigilandum cohortari debuisset. Nam si ciuilibus legibus æquissimo iure constitutum est, vt si nauis aliqua gubernatoris ignauia naufragium faciat, omnis ab illo mercium personarūq; iactura seuerissime exigatur: culpa nè Episcopos vacare arbitrabimur, si animæ illorū fidei cōmissæ, ipsorum culpa ac negligentia pereant? Quare vsq; adeò populus & sacerdos inter se coniūcti sunt, & colligati, vt vix flagitiū aliquod in populo reperiatur, quod in eum qui populi curam gerit, nō aliqua ratione conijci possit. Id quod D. Chrysol. a-

*Iob. 7.**Mar. 14.**Chrysol. in
Tracta.
de Symb.***E**

pallētibus

pallentibus marcidam, intelligis vitium ali-
 quod in radice latere: ita cum videris popu-
 lum indisciplinatum, sine dubio intelliges
 sacerdotium eius non esse sanum. Quando
 etiam horologium dissolutum perperam de-
 signat horas, nemo culpam in solam operis
 fabricam conijcit, sed in eum maxime cuius
 curæ commissum est: ita cum Ecclesia (quæ per-
 fectissimi cuiusdam horologii ordinem imi-
 tari debuisset) temerè agitur, culpa omnino
 modo in populū peccantē, sed etiam in po-
 puli rectorē cōferenda est. Hinc etiā est, quod
 tanta illa Hierosolymitana ruina, Chaldeo-
 rum furore edita, principibus populi ab Hie-
 remia Propheta attributa est: quorū erat re-
 ligionē tueri, numen infensum placare, & à
 sceleribus populū deducere & reuocare. Sic
 enim Propheta ait, Prophetæ tui viderūt ti-
 bi falsa & stulta, & nō aperiebāt tibi iniqui-
 tatē tuā, ut te ad pœnitentiā prouocarēt. Quo
 factū est, ut sublata pœnitētia, qua & peccata
 redimēda, & Deus erat placādus, acrius in de-
 linquētes sæuiret diuina iustitia. Id quod vi-
 tio contigit speculatorū: qui cum impēdentē
 calamitatē prospicere, & populū instantis pe-
 riculi admonere debuissēt, officio suo defue-
 rūt: ideoque illarū omnium impietatū quas cohi-
 bere debuerāt, participes facti sunt. Sic enim

D. Greg.

Ibren. 2.

D. Greg. ait, Faciētis procul dubio culpā habet, qui qd̄ potest corrigere, negligit emēdare: & nihil p̄dest non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato. Id ipsum etiā testatur Prosper his verbis, Ille cui dispēsatio commissa est, etiā si sanctē viuat, si tamē perditē viuētes arguere aut erubescit, aut metuit cū omnibus qui eo tacēte perierūt, perit. Videtis Patres Ampl. quo vinculo ad correptiōis & prædicationis officiū Episcopi astringantur. Quod si ita est, quid de illis quæso cēsendum erit, qui in alios hāc sarcina transmissa, huic se penitus officio subtrahunt? Quid igitur hi respōdere poterūt, cū ab eis Dominus commissi, & tamen amissi tam pretiosi depositi rationem Prophetica illis verbis exigit dicens; Vbi est grex qui datus est tibi, peccus inclitū tuum?

*Prosper
vit. contē
pla.*

*David.
33.*

Nec ramen soli ipsi populū erudire tenentur, sed coadiutores etiam huius ministerij summa cura debent inquirere. Olim enim initio nascentis Ecclesiæ ita erat cura pastoralis officij distributa, vt vni ciuitati aut etiam oppido, vnus Episcopus præficeretur. Pretiosissimum enim illud animarum depositū, Ecclesię fidei cōmissū, multis custodib⁹ tuti⁹ adseruari posse arbitrabatur q̄; si vni tantū mē crederetur. At nūc mutata rerū cōditiōe,

vni plures ciuitates & innumera: penè oppi-
 da, velut vni viro plures vxores, iunguntur.
 Cum vero ipse sit verus Ecclesiæ magister,
 nec rot locis doctrinæ suæ copiã facere pos-
 sit: nec parochos habeat qui id vbiq; præsta-
 re cõmode queant, reliquũ est, vt quod plu-
 rimis olim Episcopis cõmitti debuerat, plu-
 rimis nunc Episcoporum vicarijs comitta-
 tur: ne verbi diuini pabulo oues destitutæ,
 fame pereãt. Vbi enim hæc cura neglecta est,
 passim videmus (quod sine multis quidem
 lachrymis refferri nõ potest) permultos ho-
 mines ethnicorum, vel potius pecorũ mo-
 re vitam agentes, nihil minus quam de futu-
 ra vita, aut horrendo Dei iudicio, aut æter-
 nis piorũ, vel impiorum præmijs, vel suppli-
 cijs cogitare: adeo vt in paganismum quen-
 dam degenerasse videantur. Quorum lamẽ
 tabilẽ sortẽ ipse Dñs ac Saluator noster mi-
 seratus fuisse scribitur: quia erant (inquit)
 homines sicut oues absq; pastore. Tales enim
 pastores interdũ habẽt, vt perinde sit ac non
 haberent. ¶ Quanta verò sit hæc calamitas,
 satis apertè declarauit antistes & Propheta
 Domini Zacharias, qui spiritu Dei afflatus,
 Assa regi ex cede Æthyopum cũ clarissimo
 triumpho redeunti, occurrẽs dixit, Audi me
 Assa, & omnes viri Iuda, Dominus vobiscũ,
 quia

Mar. 6.

2. Par. 15

quia fuitis cum illo. Si quæsieritis Dñm; inuenietis eum: si autem dereliqueritis eū, derelinquet vos. Transibunt autem multi dies in Israel absq; Deo vero, & absq; lege, & absq; sacerdote doctore. Animaduertite. quæso quanta sit calamitas. carere magistro atq; doctore. Cū. n. nulla calamitas maior excogitari possit, quam sine Deo in hac vita esse (qua gentiles oppressos fuisse Apost. restatur) quos sine Deo fuisse in hoc mundo commemorat, cum illa tamen Zacharias coniu-
git, eiq; veluti patrem facit, tali sacerdote carere, qui doctoris munere perfungatur. Adeo enim hæc duo connexa sunt & colligata, vt alterum ex altero consequatur. Quis enim mihi Deum annuntiabit, si deest denūtiator sacerdos? Quomodo. n. (inquit Apostolus) inuocabūt in quem non crediderūt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo verò audient sine prædicante? Quam etiam calamitatem satis supplicium illud exaggerat, quod Dominus ipse per Prophetam minatur. dicens, se missurū famē, nō famē panis aut sitim aquæ, sed famē audiēdi verbi Dei. Quæ ergo sterilitas dēstēda magis est, quam ea, quæ animabus verbi Dei pabulum adimit? Lamentatur Joel Prophetā (idemq; pastor ouium) sterilitatem fa-

Ephē. 12.

Rom. 10.

Amos. 8.

Joel. x.

mēq; pecōrum, dicens, Ad te Domine clama-
 bō: quia ignis comedit speciosa deserti:
 & flamma succendit omnia ligna regionis:
 Sed & bestię agri velut area sitiens imbrem
 suspexerunt ad te: quia exsiccati sunt omnes
 fontes aquarum. Si ergo tanta miseratione
 Propheta sterilitatem siccitatemq; deserti
 propter peccata hominum immissam prose-
 quitur (quo fiebat vt pecora fame & siti con-
 ficerentur) quis quæso dignè lamentabitur
 tot castella, tot oppida, tot deniq; hominum
 greges sparsim per agros & rura degentes, fa-
 me confici: in quibus aquarum cœlestiū fon-
 tes exsiccati, & spiritualis doctrinæ gramina
 penè exusta sunt: quibus inclitum pecus pre-
 tiosissimō agni sanguine redemptum, alen-
 dum erat? Si verò tam acerbo luctu plangit
 Hieremias, quod paruuli petierint panē, nec
 esset qui frangeret eis: quo putas dolore plan-
 gendum esse, quòd rationales oues pabula
 cœlestis vitæ exquirant, nec accipiant: cū
 tamen ad ea comparanda sibi interdum fi-
 lijsq; suis victum adimant, dum multo labo-
 re partā & quæ sita bona, Ecclesię ministris
 offerunt: à quibus tamen vicissim pabula
 non accipiunt: corporalia sua seminātes, nec
 tamen spiritualia metentes? O miserandā tē-
 porum commutationem. Initio quidē na-
 scentis

scentis Ecclesiæ gratis Apostoli euangelizā-
 tes cū ferè nihil à populis acciperent, o-
 mni genere cælestium diuitiarum eos locu-
 plerabant: modo contra cū tam magnos Epi-
 scopi redditus accipiant, vix ouibus sibi cre-
 ditis vitæ pabula subministrant. Quorsum
 ergo Ecclesia tam ampla stipendia sacerdoti-
 bus designauit: vt quod multos olim Episco-
 pos alere potuisset, vnus modo possideat, ni-
 si vt omnium vices suppleat, qui omniū sti-
 pendia solus percipit? Nam si ius, si ratio, si
 sacra Concilia, si sancti patres, si ipsa sublimi-
 tas & perfectio Episcopalis ordinis exigit, vt
 Episcopi domus, familia, & mensa frugalia
 sint, & honesto apparatu, non luxu commē-
 data, cur tot aureorum millia vni Episcopo
 frugaliter secundum Ecclesiæ canones vi-
 cturo, destinantur: nisi vt habeat quæ in ne-
 cessitates pauperum, & in hos pios ac neces-
 sarios vsus possit impēdere? Quam quæso
 principi pastorū Christo rationē de sibi cō-
 missis ouibus reddet, quæ ipso vel dormiēte,
 vel negligēte fame pereūr: nisi forte ita desi-
 pimus, vt arbitremur, satis iusta causa ouīū iā
 cturā excusari posse, si pastor desidia torpēs,
 id ignoret? Quæ frōte añ illū pastorē, q̄ tā cha-
 ras haurit oues suas, vt nō dubitauerit, p̄ ipsi-
 sanguinē fūdere, & seipsū illis in cibū p̄bere;

Ioannis.
10.

*Greg. in
Homil.*

Ezechi.
34.

is apparebit, qui neq; terrenas quidem opes, quibus verbi Dei ministros alere posset, pro illarum salute effundit? Quod si bonus & legitimus pastor animá debet ponere pro ouibus suis, quomodo hoc nomine dignus erit, qui pro eis neq; pecuniam ponit? Cú enim (vt ait Grego.) incomparabiliter maior sit anima qua viuimus, terrena substántia quam possidemus: qui non dat pro ouibus substántiam suam, quomodo pro eis daturus est animam suam? Deniq; contra hos ipsos pastores terribiliter intonat Dominus per Ezechielem dicens, Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos: non ne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis: quod con fractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæristis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor: & factæ sunt in deuoracionem omnium bestiarum agri: & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis motibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem facië terræ dispersi sunt greges mei: & non erat qui

qui requireret: non erat inquam qui require-
ret. Quæ verborum conduplicatio magnã
quandam doloris vim innuere videtur, &
quàm sit Dño ingrata atq; molesta ouium
illa inofficiosa & inhumana derelictio, a-
perte demonstrat. Quò verò miserabilior
ouium causa est, eò grauior & inexcusabi-
lior pastorum culpa existit: ad quos protinus
Dominus per eundem Prophetam clamat,
Ecce ego (inquit) ipse super pastores requi-
ram gregem meum de manu eorum, & ces-
sare eos faciam, vt ultra non pascant gregẽ,
nec pascant amplius pastores semetipsos, &
liberabo gregem meum de manu eorum, &
nõ erit vltra eis in escã. Verũ de ratione do-
cendi satis. Facile. n. ex his omnibus patere
credo, qua lege tum per se, tum per alios gre-
gem Domini verbo pascere atq; doctrina,
Episcopi astringantur.

VII.

NEC tamen satis est verbo pascere, ni-
si multò magis pascant exemplo. Longum
enim iter est per verba, breue & efficax per
exempla. Verba enim certis temporibus, cer-
ta quædam dogmata docēt, vira verò imma-
culata omnia genera virtutum omni tempo-
re prædicat: nec solum prædicat, sed omnes
etiam ad imitandum prouocat, & viam quã
ingrediantur

*Exēplar
pbitatis
Eps.*

*Lactanti
us.*

ingrediáturostédit, & in case comitē prēbet.
Deniq; homines (ait Lactati⁹) malūt exēpla
quàm verba: q̄a loqui facile est, p̄stare verò
difficile: quantoq; alterum altero difficilius
est, tanto vtilius atq; prāstantius. Vnde gra
uissimè & prudentissimè Seneca dixit, Eum
elige doctōrē, quem magis admireris cū vi
deris quā cū audieris: cuius videlicet quā
uis sit admirabilis eloquentia, mirabilior ta
men sit ipsa vita: atq; ita potentius ad virtu
tē trahat homines cum videtur, quā cū
auditur. Talis ergo debet esse vita pastoris:

Hierony.

quam Diuus Hieronymus depinxit his ver
bis, Ea debet esse cōuersatio & eruditio Pō
tificis, vt omnes motus & gressus, & vniuer
sa eius opera notabilia sint. Veritatem men
te concipiat, & eam toto habitu resonet, &
ornatu: vt quicquid agit, quicquid loquitur,
doctrina sit populorum. Discant igitur (ait
quidam) Episcopi ab Abimelech subiectos
non tam dictis quam factis ad imitationem

Iudic. 9

incitare. Ille quidem lignorum fascēs & faciē
bat & pōrtabat: ac suis, Quemadmodum, in
quit, vidistis me facientem, ita & vos facite.
Virtutis enim species pulcherrima est: & quę
ipsa per se homines, nō solū ad amorem, sed
etā ad imitationē sui trahat. Quēadmodū: n.

Gre. nysse.

(vt Greg. Nysse. ait) fragrātia aromata suo
odore

odore circumfusum aërem complent: sic boni viri præsentia proximos iuvat. Hac vero inestimabili virtutum fragrantia totum ad se mundum Apostoli allexerunt, qui verè dicere potuerunt, Christi bonus odor sum? Deo. *1. Corin. 2*

Nihil enim in rebus humanis virtute aut fragrantius aut suavius: si quis sensum habeat ad eiusmodi suauitatem percipiendam. Sic plane fragrauit Apostolus Paulus, qui de se ipso ita dicit. De cætero fratres, quæcunq; sũt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate: quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me. Vides ergo illum nõ modo verbo, sed multo magis exemplo, non aures tantum, sed oculos etiã intuitiũ, virtutũ suarum splendore docuisse? Hoc est aut quod pastoribus Dñs potissimũ commendauit dicẽs, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Ea enim sanctitate atq; firmitudine animi pollere debet Episcopus, vt etiam cùm laudabiliter operatur, nec laudari appetat, neq; timeat: neq; inanis gloriæ periculum ita veretur, vt à publicis virtutum officijs abstinere. Deniq; ita operari debet quemadmodum D. Greg. præscribit dicẽs, Sic sit opus

in pu

Grego.

Concio

in publico, quatenus intentio maneat in oc-
culto: vt & de bono opere proximis præbea-
mus exemplum, & tamen per intentionem
(qua soli Deo placere quærimus) semper
optemus secretum. ¶ Habet autem hæc do-
cendi ratio vim quandam admirabilem ad
animos hominum studijs virtutum inflam-
mandos. Deuotus enim miles (vt Bern. ait)
non sentit sua, cum benigni ducis contue-
tur vulnera. Propter quod strenuissimus ille
dux Iulius Cæsar (vt Cicero auctor est) nun-
quã militibus dixisse fertur, ite illuc, sed ve-
nite huc. Participatus enim cum duce labor,
persuadetur militibus minor. Hinc D. Cy-
prius Cornelium Pontificem laudat, quod
exemplo suo populum sibi subiectum ad fi-
dei confessionem incitauerit. Dum præce-
dis (inquit) ad gloriam, multos feceris glo-
riæ comites: & confessorem populum suase-
ris fieri, dum primus paratus es pro omnibus
confiteri. Denique tantum valet optimi prin-
cipis exemplum, vt historiæ proditum sit, no-
bilem quandam ciuitatem in Phrigia, quæ
publicè & magno ciuium consensu Christi-
fidem profitebatur, cum tempore Diocletia-
ni nulla ratione abduci potuerit vt cometi-
tios Deos adoraret, obsessa ab impiorum
exercitu, vniuersa sine vlllo sexus aut ætatis
discrimi-

Bernard.

*Cypria. in
Epist. ad
Corneli.*

discrimine incenditur: tanta impiorum crudelitate, vt nullus omnino ciuis huius vr̄bis calamitati superfuerit. Cuius beati numero siq̄; martyrij autor & dux extitit pietate & religiōe, magnitudineq̄; animi clarus Aduersus Italus natione. Huius enim in cōfessione Christi constantiam omnis populus sequutus est: eoq̄; duce clarissimi martyrij palam adeptus. Quid quæso hic nuda verba sine huius tam magnificæ virtutis exemplo potuissent? Videtis ergo Patres quanto maiorem vim ad persuadendum habeant exempla quam verba? Ceterum quemadmodū bonorum nos pastorum exempla tam potenter ad virtutem alliciunt, ita contra malorum, longè potentius ad malum trahunt: natura enim nostra (vbi per peccatum lapsa est) ad vitia quam ad virtutes procliuior existit. Nihil enim (ait quidam) tam facile discimus quam turpitudinem: & nihil tam difficile dediscimus. Ideoq̄; (vt Greg. ait) nemo in Ecclesia magis nocet, quam qui peruerse viuēs, nomē aut gradum sanctitatis tenet. Hinc Aug. Omnis qui malè viuūt in cōspectu eorum quibus præpositus est, quantū in ipso est occidit: & fortè qui imitatur, moritur, qui non imitatur, viuūt: tamen quantū ad illum pertinet, ambos occidit. M. etiam

Tullius

*Greg. in
Past.**Aug. lib.
de Pasto.*

Cice. 3. de
Legi.

Tullius eadem de principi seculari dicit: quæ ad Ecclesiæ principes non minus pertinent: Nec solum (inquit) vitia concipiunt ipsi principes, sed ea infundunt in civitatem: neq; ob sunt quod solum ipsi corrumpuntur, sed etiã quod corrumpunt: plusq; exemplo quã peccato nocent. Ecce quo iure tenentur Episcopus non modo verbis, sed etiam exēplis cōmissam sibi plebē erudire: & ab omni maleficio abstinere, ne tot animarū reus apud Deū sit, quot exēplo suo traxerit in ruīnam.

VIII.

Visitatio
Episcopi.

Ezech. 1.

SEQVITVR deinde aliud non minus necessarium visitationis officium: quod multis nominibus Pastoribus conuenit. Cōuenit enim eis primum, quatenus prædicatores & magistri Ecclesiæ sunt. Prædicatores enim in sacro eloquio modò per nubes, modò per fluuios, modò per quadrigas & sacra illa animalia quæ in spū vidit Ezechiel, designantur. Si ergo nubes sunt, debēt utiq; peruolare terras, quocunq; eas voluntas gubernantis circumduxerit. Si fluuij ab Ecclesiæ paradyso pfluentes, debent igitur varias terrarum oras salutaribus vndis irrigare, vt fructū referāt æternæ vitæ: aliud quidē trigessimū, aliud sexagesimū, & aliud ceterimū. Si vero animalia sunt, rhedā Euangelij trahētia, non

tia, nō ergo vnō in loco cōsistere: sed terram
 omnē circūire, & cœlestes quas ferunt opes
 omnibus exhibere debēt. ¶ Idē etiā eis cōue-
 nit quatenus pastores sūt: quibus præcipitur
 vt diligēter agnoscāt vultū pecoris sui; su-
 osq; greges cōsiderēt vt videlicet earū mor-
 bos, pericula, pabula, custodes, & cætera quę
 illis necessaria sunt, diligēter provideāt. Nec
 ad hoc sufficit quæcūq; cōfusa & veluti per-
 functoria, atq; per man⁹ aliorū tradita cog-
 nitio. Ait. n. ipse Saluator, Bonus pastor pro-
 prias oves vocat nominatim: per quod, nō ob-
 scurā sed distinctā & apertā cognitionē vo-
 luit significare. Ad eō n. animabus pascēdis,
 curādis, dirigēdis, & ad æternæ satietatis pa-
 bula deducēdis intētus esse debet, vt nihil sit
 quod modo ad hāc prouinciā pertineat, quod
 illi nō sit in cōspectu, & velut in numerato
 positū. Ita. n. intēdere debet omnibus, quasi
 singulis, & ita singulis, quasi omnib⁹. ¶ Idē
 etiā munus cōuenit ei, qua ratione vices Dei
 gerit in terra. Si. n. rectē à Sapiētē quodā di-
 ctū est, regē animatā esse imaginē Dei: quid
 de Epō dici par est, qui sēpiterni illius numi-
 nis officiū atq; personam in terris sustinet?
 Quomodo vero se Dominus ipse cū gregi-
 bus suis gerat, per Ezechielē nobis apertē in-
 sinauit dicēs, Ecce ego ipse requiram oves

Ioannis.
 10.

Eze. 34.

meas,

meas, & visitabo eas: sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: Quod perierat, requiram; & quod abiectum fuerat reducā, & quod con fractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat consolidabo, & quod pingue & forte custodiam, & pascam illas in iudicio: hoc est, magna æquitate atq; prudentia quidquid illis expedierit curabo. Quæ omnia pietatis officia à summo illo sempiternoq; pastore christo inuisibiliter præstita, sancti præfules dum Ecclesias sibi creditas sancte & accurate visitant, providentissime exequentur. Grex nanq; vniuersus inuisitur, illius mores exquiruntur, basilicæ reparantur, dissidia componuntur, concubina rij castigantur, ludi legibus prohibiti profligantur, boni viri fouentur, mali corripiuntur, inopes subleuantur, vitia publica eliminantur, & morbidæ oues (ne contagio suo cæteras inficiant) à reliquo grege separantur. Hæc omnia ouibus beneficia præstat boni pastoris visitatio. Pastores vero officij huius immemores, grauitè Dñs apud Zachariam his verbis increpat. Sume tibi vasa pastoris stulti: quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, & id quod stat non

stat, non enutriet: carnes tantum pingium comedet, & vngulas eorum diuidet. O pastor & ydolum derelinquēs gregē. Gladius super humerum eius, & super oculum dextrum eius: quia nimirum & virtus operandi, & lumen intelligēdi ab eo tolletur: vt omnibus bene operandi præsidij destitutus, in omnia malorum præcipitia ruat. Hunc pastorem à Propheta hoc in loco descriptum interpretes Antichristum esse cōmentātur. Quod si ita est, diligentissimē sane pastoribus prouidendum: ne in tantum dedecus incurrant, vt tā tetri atq; detestādi pastoris nomine iure notari possint. Neq; vero satis est si vicaria ministrorum suorum opera (dum rectē valent) vtantur, cū ipsismet præcipiatur vt non segniter, sed diligenter agnoscant vultū pecoris sui, & proprias oues uocent nominatim. ¶ Multa præterea passim in visitationibus sese offerunt, quæ non cuiuslibet ministri, sed ipsius Episcopi auctoritatem, dignitatem, potestatem, atq; opes interim requirunt: quæ quoniam solitis maiora sunt, maiori etiam auctoritate tractanda & componenda sunt. Quibus nullo modo deesse is potest, qui eam auctoritatē quā cum ex officio, tū etiam ex redditib⁹ habet, ab Ecclesia ideo accepit, vt in eius utilitatē

Concio

comodumq; refundat. ¶ Antiquum deniq;
Prouerbiū est, hæri oculo equū crassum ma-
ximè atq; pinguem reddi: & quòd optimus
simus sint vestigia dñi: quæ quidem sentètia
facile indicat, quātū vtilitatis ouibus ex hoc
pastorali munere & prouidètia peruenturū
sit. Si. n. nihil magis impingat equū, quam
oculus & præsentia domini: nihil etiā magis
impinguabit oues, quā oculus & præsentia
veri & legitimipastoris. Rectissimè. n. scriptū
est, Rex qui sedet in folio iudicij, dissipat o-
mne malū intuitu suo, hoc est, magestate &
fulgore præsentia suæ. Quemadmodū enim
matutinus lucis splendor nocturnas tene-
bras fugat: ita sancti pontificis præsentia ve-
lut spiritualis quidam Sol, tenebras flagitio-
rum & perditorum hominū virtutis suæ
fulgore depellit.

IX.

*Seueritas
& census
ra Epi.*

POST visitandi munus proximū erit
vt de ministrorum delectu habendo, iusti-
tiaq; in distributione beneficiorum seruan-
da, diceremus: quæ sane cura & diligentia ad
Ecclesiam sanctè augustèq; gerendam, illi-
usq; integritatem & splendorem tuendū, est
in primis necessaria. Sed quoniam de ea sa-
tis supra dictum est (cum de præstantia ac
dignitate ministrorum eligendorum disse-
ruimus,

ruimus) ad aliam iustitię partem, quę in flagitiorum punitione sita est, Episcoposq; quam maximè decet, gradum faciamus.

Hoc enim vel maximè ad eos pertinet: ut partim publicè, partim secretè: partim admonitionibus, partim etiã legitimis pœnis vitia & clericorum & laicorum insectentur.

Alioqui timendum illud est quod Divus Gregorius comminatur dicēs, Qui proximi mala respiciunt, & tamen silentio linguã premunt, quasi conspectis vulneribus, vsum medicaminis subtrahunt: & eò mortis auctores fiunt, quò minus quem poterant curare, nolunt.

Idem etiam in Epistola quadã, Qui non corrigit, resecanda cõmittit: & facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Quę verò sit huius correptionis vtilitas, ab eodem

Gregorio explicatur his verbis, Dum vnus corripitur, plurimi emendantur: & melius est ut propter multorum salutem vnus cõ-

demnetur, quã ut per vnus impunitatem multi periclitentur. Recte enim Cicero, In corpore, inquit, si quid eiusmodi est quod reliquo corpori noceat, vri ac secari patimur, ut membrorũ aliquod potius quã totũ corp' intereat: sic in Reip. corpore ut totũ saluũ sit, quidquid pestiferũ est amputetur.

*Grego. in
Pastor.*

*Idem. in
Regis.*

*Idem. in
Regis.*

Cicero.

Concio

¶ A quo tamen officio quosdā crudelis quędam miseratio, quosdam vero aut maledicorum aut potentium metus reuocat. Ait. n.

*Hierony.
in Esay.*

Hiero. super illud Esai. Vos enim depastis estis vineam, &c. Reor hoc fuisse inter senes & principes veteris populi, quod inter præbiteros & Episcopos nostri temporis. Nostri ergo principes cum pauperes delinquentes publicè arguant & confundāt, diuitibus peiora peccantibus, nec nutum quidem faciunt. Cōtra quos inclamat D. Greg. dicēs.

Gregor.

Si ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos derisoris odia insurgere formidamus, non iam Dei lucra, sed nostra quarimus. ¶ Contra illos verò qui crudeli miseratione abutentes, impunita mala relinquunt;

Chryf.

ita Chryf. ait, iustitia sine misericordia, non est iustitia sed crudelitas: misericordia verò sine iustitia, nō est misericordia sed fauitas. Alterum ergo alteri miscendum est: & faciendū quoddam ex utroq; temperamentū: vt & iustitia sit clemēs, & misericordia non remissa: id quod in ipsa consecratione Episcopis iniungitur, cum ibidem eis præcipitur, vt in tranquillitate censuram æquitatis non deserant. Quæ duo munera D. Grego. ita paritur, vt in pœnis quidem seueritas, in verbis verò lenitas retineatur. Ait enim linguā quidem

quidem esse debere blandam, manum verò
 seueram: quo fit vt hac ratione vinum pari-
 ter et oleū lauciati vulneribus infundatur.
 Id quod plenissimè a D. Bernardo seruatum
 fuisse, declarāt illa eius verba dicentis, Quā-
 tum ego compatiar, & si quid solatii posse
 impendere, quā libenter id facerem, nouit
 ille quem nihil latet. Verum si de pœnarum
 diminutione solatium præbere voluero, cru-
 delis & immisericors ero: quātum enim sub-
 traham de pœna, tantum de corona fura-
 bor: tantum defraudabo fructus, quātum de
 semēte subtraxero: siquidē modica seminis
 detractio, non modicū est messis detrimētū.

*Bernard.
 sup Qui
 habitat.*

X.

CÆTERVM si ita in Episcopo iusti-
 tia fulgere debet, multo ergo magis miseri-
 cordia, & q̄ ab ea procedit eleemosyna: quæ
 sicut inter laudes Dei primā est, ita etiā esse
 debet inter eius qui personam Dei gerit in
 terra. Neq; n. ideo solum oleo perungūtur
 Episcopi cum consecrantur, vt ad lucendū
 accensos, & ad palestram præparatos se esse
 intelligant: sed illa etiam fortasse de causa,
 vt misericordiæ & lenitatis (quæ pontificū
 dignitatem maximè decet, & olei nomine in
 diuinis literis sæpius designatur) admonean-
 tur. Quæ quidem virtus in Apostolis mirū

*Eleemosy-
 na & mi-
 sericor-
 dia Ep̄i.*

Concio

I. Cor. 10. in modum semper enituit: qui simul & animarum & corporum pastores, pauperumq; patres esse voluerunt. Inter quos Apostolus Paulus, qui sacramentorum etiam ministeria alijs cōmittebat, vt ipse totum sese in ministerium verbi traderet, ab hoc tamen beneficentiæ ministerio nō abstinuit: sed seipsū cum socijs diligentissimum operarium præbuit: vt collectas vndiq; à fratribus eleemosynas, perduceret in Hierusalem. Quid autem est quod populi gratiam & charitatē pastori magis conciliare possit, quam liberalis beneficiorū & eleemosynarum largitio? Id adeo verum est, vt nec euāgelizandi officiū, nec exempla virtutum, nec ipsa etiam operatio miraculorum, ita amabilem & commendabilem Episcopum faciat, vt eleemosynarum liberalitas. Quod apertè ex ipsis Domini verbis colligimus, ad Iudæos post conuiuium illud celeberrimū (in quo tot hominū millia quinq; panibus satiata sunt) dicentis, Amen dico vobis quæritis me, non quia vidistis signa: sed quia comedistis de panibus. Quid quæso vel mirabilius, vel magnificentius, vel maiori honore dignius, quam signa illa ingentia quæ filius Dei edebat in mūdo? At natura humana tāto se ipsam amore cōplectitur, suisq; cōmoditatibus vsq; adeo in

tenta

Ios. 6.

tenta & infixa est, vt omnibus signis, portē-
 tosisq; miraculis suas rationes anteferat: ma-
 ioriq; Dominū beneuolentia & honore pro-
 sequatur, quòd populorum famem expleue-
 rit, quā quòd ingentia miracula ediderit.
 Hinc vulgata illa Philosophi sentētia, Ama-
 bile bonum, vnicuiq; autem proprium. Vn-
 de manauit & illa, Qui beneficia inuenit,
 compedes inuenit: imo & aliquid compedi-
 bus maius. Vincula enim hæc pedes tantū
 ligant, beneficia vero non modo corpus,
 sed etiam mentem, animū, atq; præcordia
 ipsa nexibus charitatis vinciunt. Propter
 quod Solomō ait, Victoriā & honorem
 accipiet qui dat munera: animam autem au-
 fert accipientium. ¶ Quid, quòd liberalitas
 non solum honorem & beneuolentiam, sed
 virtutis & sanctitatis opinionem parit? Vul-
 gus enim vtilitatis suæ studiosus, non alios
 putat esse bonos, quam beneficos. Quo
 factum est vt apud Hebræos eadem vox &
 sanctos significet & beneficos, adeò alterū
 alteri vicinum esse putatur. Deniq; celebra-
 tur & illa sententia, Liberalitate teguntur vi-
 tia, avaritia nudantur. Sed quid miramur si
 vulgus bñficētia sanctitatē definiat, cū eadē
 etiā definiat diuinitatē? Quot. n. hoies olim
 in Deos imperitū vulg^o rerulit, q̄a bñfici &

Prou. 22.

Concio

salutares hominibus fuerunt? ¶ Et quidē mihi non postrema hęc causa fuisse videtur, cur tantopere Episcopis eleemosynarū largitio cōmendaretur: quod per eam potissimum & popularium suorum benevolentiam, & probitatis opinionem (sibi maximē necessariam) conciliarent: qua illorum animos & ad obediendum alacriores, & ad imitandum promptiores, & ad doctrinam percipiendam paratiores redderentur. Quam enim Oratores initio dicendi benevolentiam verbis aucupari nituntur, hanc Episcopi (qui Ecclesiæ doctores atq; magistri sunt) non verbis compositis, sed benefactis & eleemosynis sibi conciliare debent. Quare, quemadmodū eiusdem artificis est & ferrum igne mollire, & in quam volueris figuram trāsformare (alterum enim sine altero fieri nequit) ita eiusdem ministri est, & populum præceptis instituire, & animos eorum beneficijs ad audiendum præparare. Neq; n. tantum ignis vis & efficacia valet ad ferri duritiē molliendam, quantum beneficia ad hominum animos cōmutandos, atq; omni ratione flectendos. ¶ Verum non hęc sola causa Episcopos ad misericordiam incitare debet, sed illa etiam quod ad hoc potissimum tam amplios ab Ecclesia redditus acceperunt, non vt cum principibus,

cipibus & potētibus seculi fastu & luxu certarent, sed vt inopum ac viduarum miserijs subuenirent, & pauperum patres essent: vt potē qui illius personam gerunt, qui pater appellatur orphanorum, & iudex viduarū. Quod munus Ecclesia ab Apostolis deriuatum fidelissimē retinuit, eo etiam tempore quo misere à tyrānis exagitata, tenuissimo p̄trimonio alebatur. Tempore enim Cypriani (quāuis crudelissima in christianum nomen persecutio s̄uiret: qua & ipse Cyprianus & Cornelius pontifex maximus, multiq; alij glorioso occubere martyrio) Ecclesia tamen pauperes atq; viduas nō paruis sūptibus alebat, vt ex Epistolis eiusdem Cypriani facile liquet. Rogatus enim per epistolam, liceret nē homini christiano mimum agere, vt hac arte viueret: respondit: nequam id ad grauitatem & dignitatē christiani nominis conuenire: Quod si is mimus nō hēret vnde viueret, transiret ad Ecclesiam suam: ibidem victum cum alijs eiusdem inopiæ cōfortibus accepturus: si modo cibus innocentibus contentus esse vellet. Nunc autem cum Ecclesia opibus fidelium non sibi solum, sed etiam indigētibus ditior facta sit, merito ij conquerebuntur, illud D. Bernar. obijciētes, Clamant nudi, clamant famelici: conquere-

Concio

conqueruntur & dicunt, Dicite pontifices, in sacro quid facit aurum? Nunquid à sacro expellit frigus aut famem? Nostrū est quicquid expenditis: à nobis extrahitur crudeliter, quod cōsumitis inaniter. Et per eūdem Bernar. ad quendam Canonicum, Conceditur tibi si altari seruias, vt de altario viuas, non tamen quòd emas frēna deargētata, grisea, variaq; pellicea: Quicquid ergo præter necessarium victum & vestitum de altario retines, tuum non est: rapina est, sacrilegiū est. Quibus verbis quid acrius dici potuit? Idem etiam penè Hieronymus his verbis, Præter victum & vestitum, & manifestas necessitates, nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panes canes comedant. Idem etiam super illud Isaiæ, Rapina pauperum in domo vestra, ita ait, Rapina pauperum in domibus sacerdotum qui Ecclesiæ opes sibi thesaurizant, & in delitijs abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dātur: & sibi reseruāt, vel propinquis distribuunt: & aliorum inopiam suas vel suorum diuitias faciunt. His etiā addo Apostolorū Canonem hac ipsa de re ita statuētē. Omniū negotiorum ecclesiasticorum curam habeat Episcopus, & ea velut Deo contemplante dispenset, nec i liceat

*Berna. in
Epistola.*

*16. q. 1. Si
cupis.
Hiero. in
Esay.
Esay. 3.*

*12. q. 2. c.
Quisquis.*

liceat ex ijs aliquid omnino contingere, aut parentibus proprijs quæ Dei sunt condonare: quòd si pauperes sint, tanquam pauperibus subministret: ne eorum occasione Ecclesiæ deprædentur. Diuus etiam Augu. in Serm. quodam ita ait, Memento quòd pauperem vitam sacerdos gerere debet: & ideò si superbam habet, si magno gaudet beneficio, præter victum & vestitum pauperibus dare non differat. ¶ Sed quid mirum est si hoc alijs consulat Augustinus, quando ipse hac tanta liberalitate non contētus, non modo sibi subtraherat, quod pauperibus erogaret, sed etiam quando nihil supererat quod distrahere posset, ipsa quoq; vasa dominica ab altaris ministerio sublata, conflari iubebat, & dari: mallès altaribus ornatum, quam pauperibus alimenta deesse. Vsq; adeò enim ad Episcopum pertinere credebatur pauperes alere, vt quando non poterat suis, eos etiam Ecclesiæ opibus in periculo & fame sustentaret. Quid vero Diuum Ambrosium cōmemorem, qui non solum vasa dominica vt captiuos redimeret, conflauit, sed propter hoc etiam opus libentissime inuidiam & calumniam sustinuit: Cuius verba (quoniã pectus referūt

*Augu. in
Serm. ad
Here.*

Epis-

Concio

*Ambro.
lib. 2. de
Officiis.*

Episcopi vere christiani) non grauabor hoë
in loco ascribere: quæ ad hunc modum ha-
bent. Nos aliquando in inuidiam incidimus
qui confregerimus vasa mystica, vt captiuos
redimeremus, quod Arrianis displicere pote-
rat: nec tam factum displicere, quam vt esset
quod in nobis reprehenderet. Quis autem
est tam durus, immitis, & ferreus, cui displicet
quod homo redimitur à morte: fœmina
ab impuritatibus barbarorum (quæ grauior-
es morte sunt) adolescentulæ, vel pueruli,
vel infantes ab ydolorum contagijs, quibus
mortis metu inquinabantur? Quam causam
& si non sine ratione aliqua gessimus, tamẽ
ita in populo persecuti sumus, vt confitere-
mur: multoq; fuisse cõmodius astrueremus,
vt animas Domino, quàm aurũ seruariemus.
Qui enim sine auro misit Apostolos, & Ec-
clesias etiam sine auro congregauit. Aurum
Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget,
& subueniat in necessitatibus. Quid opus cu-
stodire quod nihil adiuuat? An ignoramus
quantum auri atq; argenti de templo Domi-
ni Assyrij sustulerint? Nonnè melius cõflat
sacerdos propter alimoniam pauperum (si
alia subsidia desint) quàm sacrilegus conta-
minata asporter hostis? Nonnè dicturus est
Dominus, Cur passus es tot inopes fame e-
mori?

mori? Et certe habebas aurum, vt ministras
 ses alimoniam, Cur tot captiui deducti in cō
 mercium sunt, nec redempti? Cur tot ab ho
 ste occisi sunt? Melius fuerat vt. vasa viuen
 tium seruares, quam metallorum. His non
 posset respōsum referri. Quid enim dicerēs?
 Timui ne templo Dei ornatus deesset. Re
 sponderet, Aurum sacramenta non querūt:
 neq; auro placent, quæ auro non emuntur.
 Ornatus sacramentorum, redemptio capti
 uorū est. Et verè illa, sunt vasa pretiosa, quæ
 redimunt animas à morte. Ille verus thesau
 rus est Domini, qui operatur quod sanguis
 eius operatus est. . Tunc vas. dominici san
 guinis agnosco, cum in vtroque videro redē
 ptionem: vt calix ab hoste redimat, quos san
 guis à peccato redemit. Quam pulchrum vt
 cum agmina captiuorū ab Ecclesia redimū
 tur, dicatur, Hos Christus redemit: Ecce au
 rum quod probari potest: ecce aurum vtile:
 ecce aurū Christi, quod à morte liberat: ecce
 aurū quo redimitur pudicitia, quo seruatur
 castitas. Hos ergo malui vobis liberos trade
 re, quam aurum reseruare. Hic numerus ca
 ptiuorum: hic ordo præstantior est, quā spe
 cies poculorum. Huic muneri proficere de
 buit aurum redemptoris, vt redimeret peri
 clitantes. Agnosco infusum auro sanguinē
 Christi,

Concio

Christi non solum irrutilasse, verum etiam diuinæ operationis impressisse virtutem, redemptionis munere. Hactenus cœlestis fistula Ambrosius, cuius pietatē D. Aug. (de quo supra mentionem fecimus) cæteri q; Patres sanctiss. secuti sunt. Quorum exempla satis superq; esse debent, vt hæc virtus omnibus Christi vicarijs quā cōmendatissima sit.

XI.

*Parcitas
& modestia
Ep̄i.*

VLTIMO tandem loco inter Episcoporum virtutes collocanda mihi est pulcherrima parcitatis & modestiæ virtus: quæ ad ea omnia quæ supra diximus maxime necessaria est. Si .n. Episcopi patres pauperū esse perhibentur, si vndecunq; idoneos verbi Dei prædicatores ad se asciscere: quos expensis illi suis (quando ecclesiasticæ non suffecerint) alere debent: si rudes etiam & imperitos sacerdotes & ministros erudire & literis instituere eos expedit, necesse est vt moderata familia ac mensa contenti sint: quatenus ex facultaribus eorū supsit, quo omnia hæc onera sustentare possint. Sic .n. Saluator noster (cū discipulorum pedes abluere vellet) linteo ita sese præcinxit, vt extreme eius partes superessent, quibus lotos discipulorū pedes abstingeret. Ad quē modum Ep̄i ita facultatibus suis vti debēt, vt semper
ex eis

ex eis portio aliqua reliqua fiat, quæ pedibus Ecclesiæ (idest pauperibus sustentandis) deseruire possit. Opes enim Ecclesiæ in manibus boni dispensatoris positæ, subsidia sunt pauperum, alimēta viduarum, adiumenta virtutum, redemptio peccatorum, stipendia prædicantium, rudimenta simplicium, sustentatio Deo dicatarū virginū, instauratio tēplorū; Collegiorū studiorūq; institutio. Hæc enim omnia opes Ecclesiæ bene collocatæ præstare possunt: quæ si in alios vsus effundantur, deerunt Episcopo pietatis præsidia, & instrumenta virtutum.

¶ Sed quia non pauci sunt qui ab hac opinione dissentiant, cum ad Ecclesiæ amplitudinem & regendi auctoritatem maximè interesse credunt ex amplis redditibus amplas quoq; domos & familias principum huius seculi more sustentare: atq; hūcerū strepitū ad Episcoporum dignitatem pertinere (à qua detrahi putant quidquid ab huiusmodi apparatu & splendore detrahitur) examinemus quæso vigilanter, quid in hac tanta re sequendum, quidve declinandum sit: videamusq; diligenter quid ratio, quid auctoritas, quid sanctorum patrum exēpla, quid deniq; sacrorum Conciliorū decreta nobis insinuēt. Neq; enim in hac grauissima causa

(quæ

Concio

(quæ totius vitæ pastoralis caput est) : suos quisq; affect⁹, priuataq; cōsilia (quæ variè cor rûpi ac deprauari possunt) cōlectari debet: sed Ecclesiæ & sacrorum conciliorû, sanctorumq; patrum sententiæ, atq; decreta ab omnibus (tâquam cœlestia quædam oracula) sequenda sunt: quibus omnis humana ratio facile concedere, & tanquam vexilla sua submittere debet. ¶ Et ratio quidem ipsa dictare videtur, vt ex duobus cōmodis quod maius sit amplecti debeat, quisquis rectè sapere velit. Collocemus ergo ex altera parte auctoritatem et dignitatem quæ splendore domestici apparatus, & amplæ familię cōparari potest: ex altera vero constituamus omnia quæ commemorauimus cōmoda, quæ ex parcitate & modestia episcopalis familiæ consequuntur (dum quæ sibi Eps subtrahit, in hos pietatis & religionis vsus conuertit) quis non videat quâto posteriora hæc & maiora, & diuiniora, & magis Ecclesiæ necessaria sint, siue salutem ouium corporalē, siue spūalē spectare velis? Quid tibi tua ista dignitas & amplitudo tam magno pretio comparata, conferre poterit, si ijs opibus destituaris, quibus tantas res perficere, tantisq; malis subuenire possis? Quid tua ista frigida nudaq; auctoritas, pietate vacua, nullisq; in populum

pulū beneficijs suffulta, per se poterit præstare? Cum enim nulla re magis populariū & reuerentia & beneuolentia conciliari possit quam eleemosynis & largitate beneficiorum (vt ante mōstrauimus) quē magis quæso populus & diliget, atq; suspiciet, quam eū quem patrem agnoscit beneficijs, episcopū virtutibus, pastorem officio, diuitem beneficentia, potentem subleuatione miserorū, & pene diuinum hominē cōtemptu omniū terronorum bonorum? Talem enim virum homines, non vt hominem sed vt numē aliquod suspiciūt & venerantur, quē Deū vident esse miseris, Deum afflictis, Deū egētib; oppressis, & calamitosis. Si enim omnne rarū, & mirabile & pretiosum est: quid hoc tēpore rarius, quā nō abire post aurū, nec sperare in pecuniæ thesauris? Hic enim est quem verē mirantur homines, & de quo meritō quærant, Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Animum enim excelsum (inquit Seneca) quidquid miramur timemusq; ridentem, & terrena omnia velut ex alto despicientem, cœlestis potentia agitat: sine qua ad tantum fastigium humana virtus peruenire non potest. Hoc ergo est quod veram & solidam auctoritatē & gloriam meretur: non fastus, lu-

Concio

xus, & pompa (Amor enim, vt recte sapiēs quidā dixit, potentia & metu non cōflatur) quę in principe seculari forrassis tolerāda, in principatu vero ecclesiastico minus ferenda sunt. ¶ Præterea, si episcopus in altissimo perfectionis cardine positus est: ad maiorēq; virtutum omnium perfectionem quā monachi cuiusuis ordinis etiam Carthusiani, tenentur: quomodo in summā illam Euangelicę apostolicęq; vitę amplitudinem quam profitentur, cōuenire potest immodicus fastus, & luxus, totq; greges famulātium adu- lātiūq; seruorū, tot vasa auro argētoq; nitētia, tot cibi lautissimi, tot vina p̄tiosa, tot peregrina & trās marina fercula, tātus deniq; apparatus & pōpa secularis? ¶ Præterea, si Episcopus ipse doct̄or est & magister Ecclesię, qui fideles omnes ad vitę sobrietatē & paritatem, atq; ad terrenorum bonorum & pōparum seculi contemptū (quibus in baptismo renuntiarunt) verbo & exemplo exhortari debet: qua quæso fronte & autoritate hoc ab alijs exiger, quod ipse non præstat? Occurrit enim ei protinus ad Nepotianum ita scribens Hieronymus. Non confundant opera tua sermonem tuum: ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet intra se dice re possit, cur ergo hæc quę dicis ipse non facis?

*Hiero. ad
Nepotia.
Epist. 2.*

facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre disputat de ieiunijs. Accusare auaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusq; concordent. Denique si rectè à Patribus definitum est, Episcopi munus nō tam honorem esse quā onus: nec tam principatum quā ministerium: nec tam dominiū quā liberam & ingenuā seruitutē (sic enim Paulus ait, Cum liber essem ex omnibus, omniū me seruum feci, vt omnes facerē saluos) labori ergo ac ministerio, & seruituti, non fastui, & luxui inseruiendum est. Et ne me huius sententiæ autorē fingas, audi Diuum Bernardum ita definientem. In omnibus exemplo Apostoli honorificabitis ministerium vestrum: ministerium inquam, nō dominium: ipsum quidem honorificabitis, non vos. Nam qui quærit quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium. Honorificabitis autem, non cultu vestium, non fastu equorum, non amplis ædificijs, sed moribus ornatis, studijs spiritalibus, ac bonis operibus. Hactenus ille. Quis ergo sanctissimī huius viri integerrimo iudicio atque sententiæ subscribere renuat ac recuset? Audi etiam D. Chrylostomum pōtificē clarissimū eadem de re ita differentem. Differentia (inquit) dignitatis facta est inter sanctos,

1. Cor. 9.

*Bernardus
in Epist.*

vt vnus sit Episcopus, alius minister? contumacia vero carnis coegit, & peruersitas mundi, & operatio inimici, vt honores videantur esse, sed reuera non sunt, nisi ministeria. Hactenus ille. Quibus addo etiã D.

1. Tim. 3. Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, ita munus Episcopi definientẽ. Opus, ait, hoc esse naturæ, non dignitatis, laborẽ non delicias: non crescere fastigio, sed humilitate decrescere: vt fiat seruus & minister hominum propter Christũ. Si ergo Episcopus seruus est & minister Ecclesiæ, vt seruus ergo & minister, non vt princeps se gerere debet, ne ei à Domino illud Ezechielis impropere-

Ezechi.

34.

tur, Cum austeritate imperabatis

Mat. 5.

& cum potentia. ¶ Præterea si (vt Saluator ait) Episcopus est velut ciuitas quædam supra montẽ posita, ad quam oēs in angustijs tum corporis, tum animæ constituti confugere, & velut fons quidam publicus: vnde omnes sitiẽtes bibere: & vt communis quædam vnguentorũ omnium apotheca, vnde morboſi omnes malorum suorum medicamenta expetere debeãt: si idẽ est etiam doctor insipientium, magister infantium, lumẽ eorum qui in tenebris ambulant: à quo cæci lumen, paruuli doctrinam, dubij consilium,

inopes

inopes subsidium, viduæ protectionem, infirmi sospitatem, & varijs tentationibus, scrupulis, & tribulationibus pressi, medicinam pariter & auxiliū quærerere debēt (Domus enim Episcopi & asylum & oraculum totius debet esse ciuitatis: vnde & antiqui patres olim iuxta ecclesias habitantes, liberum sine custode adiūm cunctis ad se venientibus præbebant) quomodo abiecti & inopes homines familiariter Episcopum cōuenire poterunt, & ab eo vel opem exigere, vel consilium: quem videant tot vallatū famulis, tantoq; apparatu & splendore nitentem: qui pauperis ita perstringat oculos, vt in primo limine tanta oppressus luce vltro pedē referat? Quomodo Episcopus sese ad huius infirmi humuntionis humilitatem ex tam sublimi gradu demittet, aut quomodo pauper audacter, libere, & familiariter tali tātoq; doctore & consiliario vti poterit: qui principis magis quā doctōris personam referat? Certe hic aut persona deponenda est, aut officium abijciendum: male enim inter se ista cohærent, & personam principis agere, & humilibus consentire, & cum infimis hominibus (quādo res ita postulat) paterna charitate familiariter agere. ¶ Verum quid opus est aut rationibus, aut Patrū testimō-

Concio

nijſ hanc cauſam agere, cum habeamus ſa-
crorum canones Conciliorum, qui eis hanc
eãdem parcitatem atq; modeſtiam præſcri-
bunt? Sic enim habet Concilium Cartha-
ginenſ, 4. cui D. Auguſt. interfuiſſe dicitur.
Episcopus pauperem domum & vilẽ ſup-
pellectilem habeat, dignitatẽq; autoritatis
ſuã, fide & meritis quãrat. Quid igitur ad
hãc dicemus? quis iudicium ſuum tanto-
rum patrũ autoritati, imo & Spiritui ſan-
cto, in Concilijs præſidenti atque definiẽti,
audeat anteferre? Neque verò ita hic conſu-
litur parcitati, vt non etiam autoritati con-
ſulatur. Verum hanc expetimus non fuc-
tam & vanam, & quã ſolis externis rebus
(quã nihil ad nos attinent) nitatur: ſed quã
ſolida & vera ſit, quã virtute, ſapientia, ſan-
ctitate, liberalitate, magnitudine animi, fidu-
cia in Deum, & recte factis comparatur. Si
enim ex omnium philoſophorũ & gentium
communi conſenſu vni tantum virtuti ho-
nor, dignitas, autoritas, & reuerentia debe-
tur: quòd virtus rerũ omnium dñã ſit ac re-
gina: quo iure magis hanc Episcopi autori-
tatẽ promereri poterunt, quã virtutis ac
ſanctitatis præſtantia? Nam qui diuitijs, qui
veſtibus, qui faſtui exhibetur honor: is pla-
ne falſus, indignus, & fucatus eſt. Rectiſſi-
me

me enim à Seneca dictum est, Non faciunt equum meliorem aurea frēna: nec hominē meliorem fortunæ ornāmēta. Quemadmodum enim in auro, & gēmis, & in ipsa etiam corporum pulchritudine cernere licet aurū ali quod verum, ali quod autē adulterinum: gēmas item veras & adulterinas: corporis etiam pulchritudinem verā à naturaq; ipsa bributam, aliam verò arte, fallacijs, & fucō quæsitam: ita sane mirari nemo debet, si honor aliquis atque autoritas vera sit, quæ meritis & virtute comparatur: fucata verò alia, quam stulti & imperiti rerum æstimatores opibus & potentiæ tribuunt. Sic enim apud Ciceronem legimus. Gloria est solida *1. Tuscul. 3.* quædam res, & expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantiū de excellenti virtute. Illa autem quæ se eius imitatricem esse vult, temeraria, atque inconsulta laudatrix fama popularis, simulatiōe honestatis formā eius pulchritudinēq; corrūpit. Tu ergo quæ habēt speciē glorię, collecta ex inanissimis splendoris insignib⁹, cōtēne: breuia, fugacia, & caduca existima. Hmōi. g. gloriā p̄cipib⁹ seculi p̄mittamus: absit autē vt Ecclesię principes veris honorū fōtib⁹ omisis, fucatos & fallaces exquirāt. Id. n. calamitosissima illa ætate

Concio

2. *Maccae*
4.

sub Antiocho Tyrāno, quando sacra omnia violata sunt, contigisse memorant hystoriæ Machabeorum: cum principes populi & sacerdotes, patrios honores pro nihilo habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur: Patrij enim honores erant qui virtuti, qui religioni, qui fidei, & meritis vitæ reddebantur: quibus, cum sacerdotes destituti essent, ad falsos honorum titulos, nempe opes, apparatus, pompaſq; Ethnicorum confugiebant. ¶ Quis enim nesciat principatum seculi in hoc ab Ecclesiæ principatu distare, quòd ille carnalis sit & terrenus, hic vero spiritualis atque cœlestis? Quod si ita est, quis dubitet illum quidem terrenis, hunc verò cœlestibus spiritualibusq; potissimum opibus niti debere? Quid igitur naturam rerū inuertim? Quid peregrina mutuam? Quid celeriter interituris æterna commutamus? Quid humana diuinis cōmiscemus? Cur dū aliena & peregrina sequimur, nostra relinquimus, & velut proditores & trāsſugæ, in ipsis Dei castris, sub alienis signis militamus? Sed quid ago? Video enim non modo Ecclesiæ, sed multos etiam seculi principes non fastum & luxum, sed sobrietatem paritatemq; præcipua regni ornamenta atque præsidia posuisse. Quā parcos enim plerosq;

Lacçde.

Lacédemoniorum reges fuisse legimus: qui non auro, argéto, aut margaritis, sed magnitudine animi, prudentia, iustitia cæterisque virtutibus (quæ cunctis margaritis pretiosiores sunt) auctoritatem dignitatemq; super omnes alios quæsierunt? Agefilaû enim clarissimum principē memorat Plutarchus, cū in tétorijs inter milites ageret, nihilo meliorē cūlitrâ habuisse quàm cæteros: illud assidue in ore habentem, principis esse nō mollitie delitijs ve, sed temperantia, ac fortitudine priuatis hominibus antecellere. Quid verò Alexander ille totius penè orbis monarcha? qua quæso illum frugalitate & parsimonia in tam ampla fortuna vixisse credamus: qui post illustrem illam Persarū victoriam, cum domum Darij ingressus, variam eius suppellectilem, & Persicas delicias, stratum, mensas, cænaculum, ceteraq; miro instructa ornatu perspexisset, ad socios conuersus, Hoccine, inquit, imperare erat? Quo vno verbo & frugalitatem suam declarauit, & quàm alienū ab officio & dignitate principis esset delitijs fastuiq; indulgere, monstrauit. Nec mirum esse potuisse vinci, qui sic vitā instituisset Sed hæc in profanis literis legimus: quid verò in sacris? Primus Israelitiçi populi princeps Moses fuit, non ab homi-

nibus,

*Plutar.
in Apo-
pbth.*

Concio

*Philo. de
vita Mo
sis, lib. 1.*

nibus, neq; per hominē, sed à Deo electus. De hoc vero Philo disertissimus Iudeorum scribit in hunc modum. Solus hic omnium qui vnquā principatū gesserunt, non aurū, non argentū, in thesauros condidit, non tributa exegit, non palatia, non latifundia, non greges, non famulicia, nō redditus, non alias opes sibi parauit, quāuis posset habere omnium harum rerum copiam: sed existimās animæ pauperis iudicium esse mirari materiales diuitias, has quidē vt cæcas contempsit, illas verò naturales perspicacesq; honorauit & amauit, siquis vnquam alius: in vestitu victuq; quotidiano nihil præferens fastus tragicæ, sed simplicitatem frugalitatēq; exercēs priuati hominis. Regem autē in his solis agebat quæ verè sunt regia: vt sunt cōtinētia, fortitudo, sobrietas, solertia, prudētia, scientia, industria, tolerantia, iustitia, voluptatis contemptus, ad virtutem exhortatio, obiurgationes, castigationesq; peccantiū legitime, & rectè faciētiū laudes atq; p̄mia. Hac len^o ille. Si. g. terreni illi principes Xpm ignorātes, & in ipsis adhuc infidelitatis & ydololatriæ tenebris agētes, solo ratiōis lumine hoc & viderūt, & sequuti sunt: quis ferat Episcopum pauperis Christi vices gerentē, & exēplo atq; doctrina sua homines ad cōtemptum

temptum terrenorum honorum adhortatem,
inter epulas & magnifica conuiuia; interq;
crateres aureas & argenteas, spléndidasq; mi-
nistrorum cateruas, vitam agentē: ¶ Nemo
ergo dicat de Episcoporum dignitate & glo-
ria aliquid detráhi, cum hanc ab eis carnalē
& fallacem gloriám subtrahimus: non enim
hoc agimus vt dignitatem illis honoremq;
detráhamus, sed vt expressam, solidá, vereq;
Christianam gloriám illis tribuamus. Neq;
enim sine Episcopali honore & gloria Apo-
stoli fuerunt, qui tamen dicere pótuerunt,
Habentes alimenta & quibus tegamur, his *1. Tim. 6*
contenti sumus. Et illud, Argétum & aurú *Act. 3.*
non est mihi: quod autē habeo, hoc tibi do.
Neque sine autoritate etiam D. Martinus
fuit (quem Apostolis parem fuisse canit Ec-
clesia) de quo tamen in vita eius ita scribit
Sulpicius, Factus verò Episcop⁹ Turonēsis,
idē constantissime perseuerabat, qui prius
fuerat: eadem in corde humilitas, eadem in
vestitu vilitas: atq; ita implebat Episcopi di-
gnitatē, vt propositū monachi nō desereret.
¶ De Diui verò Aug. frugalitate et parsimo-
nia, scribit in eius vita Possidoni⁹ in hūc mo-
dū, Mensa vsus est frugali & parca: que qui-
dē inter olera & legumina, etiá carnes ali-
quādo propter hospites vel quosque infir-
miores

Concio

miores continebat. Coclearibus tantū argē-
 reis vtens, cætera vasa quibus mensę eius ci-
 bi inferebantur, vel testea, vel lignea, vel mar-
 morea erant: non necessitatis inopia, sed
 proposito voluntatis. Denique morti iam
 proximus; testamentum nullū fecit: quia vn-
 de faceret pauper Christi nō habuit. Hactē-
 nus ille. Et hic tamen qui ad eō parcē vitam
 instituerat, tanta fuit autoritate atque præ-
 stantia, vt totam penē Africę prouinciam
 varijs hæreticis infestatam, ab erroribus libe-
 rauerit. Aduersus enim huiusmodi portēta
 dictu mirū, quā strenuū pugilem egerit Au-
 gustinus. Deiecit Pascentium Arrianum, li-
 cet autoritate potestateq; publica formida-
 bilem. Tradūxit Manichæorum prodigiosas
 fabulas, & obscœna mysteria protraxit in lu-
 cem. Donatistas & Circuncelliones, perti-
 nax malū, multis conflictibus tandem fu-
 dit, profligauit, deleuit. Postrema lucta fuit
 cum Pelagianis: quibus etiam omnem vim
 autoritatēq; detraxit. Paganorū deniq; reli-
 quias magna ex parte deleuit in ea puincia
 Et ad tantas res conficiendas, non vi, non ar-
 mis, non copijs vsus est, sed solo gladio spi-
 ritus, quod est verbum Dei, atq; armis apo-
 stolicis, tot victorias, tot triumphos parauit
 Ecclesię Christi. Quid verō Diuum Basi-
 lium

D. MIT
 2. 11

Eph. 6.

lium cōmemorem, cuius mōres regale quid
dam (vt eius nōmen sonat) p̄se ferre vi-
debantur? An non ille inuicta quadam ani-
mi magnitudine, ac sanctitate vitæ, omni p̄-
p̄a atque apparatu destitutus, cum ipso Im-
peratore Valente Arriano tot annos pro
fide Ecclesiæ decertauit? Quis autem Basi-
lio in victu & vestitu frugalior? Sic enim de
eō scriptum legimus: Erat autē Basilius in
victu & cultu abstinentissimus: vna tantū tu-
nica amiciebatur, humi cubitabat, totis sæpe
noctibus vigilabat. Demū obiit corpore per
abstinentiam consumpto, cū ossibus ac pelle
tantum superstes esset. Similem vite parci-
tatem sequutus est & sanctus Exuperius: de
quo ita scribit Hiero. Sct̄us Exuperius Tho-
losæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator,
esuriēs pascit alios: & ore pallente ieiunijs,
fame torquetur aliena: omnēq; substantiam,
Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius
qui corpus Domini canistro vimineo, san-
guinem portat in vitro. Huius sectare vesti-
gia, & cæterorum qui virtutis illius similes
sunt: quos sacerdotium & humiliores fecit
& pauperes. Quid hoc exemplo mirabilius?
Quis nō obstupescat corpus Domini, quod
nec ipsis quidem angelorum manibus pro
dignitate tractetur, canistro vimineo circū
ferri?

*Hierony.
Episto.
to. 1.*

Concio

ferri? Quo affectu ferebatur in pauperes Christi, qui Christum tam humili vase circumferebat? Quomodo suis parceret facultatibus ut pauperes alere posset, qui nec ipsis quidem altaribus pepercit? Quomodo splendida domū atq; familiā esuriētibus pauperibus aleret: qui ut algētes nudosq; vestiret, altaria quoq; ipsa nudauit? Tales ergo præsules, istis suis exesis corporibus, ista vitæ sobrietate & parsimonia aduersus mundi monarchas Ecclesiam Christi tutati sunt: nos utinam eorum labore conseruatā & auctam retineamus. Sed ad hoc certissima via est eorum ingredi vestigijs, quando (ut nobilis ille Historicus dixit) imperium eisdem artibus retinetur, quibus initio partum est. Quæ ubi defuerunt, nec ipsa quidem caput mundi Roma stare diu potuit: Imperiū enim summis laboribus & inedia partum, non dirus Hannibal, aut crudelia bella, sed luxus & opulentia bellis perniciosiora dissoluerunt.

¶ Neque vero quisquam aduersus hæc sanctorum Patrum exempla diuersitatem mihi tēporū obijciat: ad hanc enim fere cōfugiūt, quicumq; genio suo indulgētes, de opibus atque domestico apparatu sibi blandiuntur. Quæ res alicuius fortasse momēti esset, si cū tempore, aut fortunę pauperum, aut mores homi-

hominū mutarentur. Nūc cū eadē sit in pau-
 peribus indigētia, eadē in hominibus morū
 corruptio, eadē ambitio, avaritia, luxus, fa-
 stus, & intemperantia: non video cur eisdem
 morbis nō eadē adhiberi debeat medicina.
 Cōstat etiā malorū omniū fontē esse naturę
 labē & corruptionē, quę per peccatū (quod
 à parētibus traximus) nō modo infecta, sed
 etiā in seruitutē peccati venundata, omniū
 peccatorū prurigo & veluti seminariū est.
 Cuius nimirū letiferi seminis fructus sunt
 opera illa carnis, quę Apostolus enumerat:
 fornicatio, immūdia, impudicitia, luxuria,
 ydolorū seruitus, veneficia, inimicitia, cōtē-
 tiōes, emulationes, irę, rixę, dissensiones, se-
 ctę, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessa-
 tiones, & his similia. Ab hac ergo radice car-
 nis & peccati ōnia hęc vitiorum germina
 subinde pullulāt: ad hęc tā tetra ac fune-
 sta mala miseri ppēsi sumus, dicēte Dño, Sē-
 p̄. n. et cūcta cogitatio humani cordis, in ma-
 lū prona sūt ab adolescētia sua. Si igitur hoc
 ipso t̄pore eadē hōis natura eadē peccati labe
 infecta, pseuerat: cur dissimilitudinē tēporū
 in simili causarū ratiōe sōniamus? Easde. n.
 causas eodē mō semper operari, hoc est ad
 idem inclinare. necesse est. Quocirca si ea-
 dem hoc tempore vitiorum lues Ecclesiam
 Dei

Concio

Dei deuastat, eadem quoque virtutum re-
 media, eademq; medicina necessaria est. Nō
 ergo fastus fastu, non luxus luxu, non opes
 opibus, non delitijs delitiæ: sed humilitate
 fastus, sobrietate luxus, paupertate auaritia,
 & asperitate delitiæ superandæ sunt. Sicut
 enim ignis igne non extinguitur, sed auge-
 tur (contrario enim humore extinguendus
 est) ita nō fastu fastus, sed sobrietate & par-
 citate superandus. ¶ Quod si dissimilem
 adhuc esse rationē temporū contendas, li-
 benter anuam: sed tamē in peius degene-
 rasse ac mutata esse tempora, nemo est qui
 nesciat. Quod si ita est, necesse est sane vt in
 grauescēte morbo, acrior medicina adhibea-
 tur: maiori enim sanctitate maior temporū
 prauitas curanda est: quia vbi abundat deli-
 ctum, superabundare debet & gratia. Quis
 autem adeo mentis inops est, qui nō videat
 omnia mundi vitia cū tempore pariter ad-
 leuisse? Quando enim tot heresum monstra
 Ecclesiam ita infestauerunt, vexauerunt, ac penē
 oppresserūt? Quādo ita luxus, auaritia, ambi-
 tio, libido, delitiæ, ludi, epulæ, splēdor vestiū,
 cæteraq; vitiorum irritamenta, & cupiditas
 ipsa (malorum omnium seminariū) inun-
 dauerunt? Quātum vero Ecclesiæ proceres
 & ministri (qui his malis opem ferre debue-
 runt)

Roma. 5

rūt) à maioribus suis hoc ipso tempore degenerarunt: siue probitatem spectare velis, siue docendi facultatem, siue eleemosynarū largitatem, siue sobrietatē vitæ, siue infractum animum ad omnia pro sibi commisso grege pericula subeūda. Deniq; si diuo Cypriano credimus, quo mundus magis ad finem properat, eo magis velut senectutē ac vetustate conficiēte, in deteriora prolapsus est. Sic enim scribit aduersus Demetrianū. Breuiatur in dies singulos & decrescit ac deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocētia in foro, iustitia in iudicio, in amicitijs concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Putās ne tu tantam posse substantiam rei senescentis existere, quanta prius potuit nouella adhuc & vegeta iuuetā pollere? Minuatur necesse est quicquid sine iam proximo, in occidua & extrema deurgit. Sic sol in occasu suo radios minus claro & igneo splendore iaculatur. Sic declinante iam cursu, exoletis cornibus luna tenuatur. Et arbor quæ fuerat ante viridis & fertilis, arescentibus ramis, fit post modum sterili senectute deformis. Et fons qui exundatibus prius venis largiter profluebat, senectute deficiēs, vix modico sudore distillat. Hæc sententia mundo data est: hæc dei

Cypr. cōtra Demetri.

lex est, vt omnia orta occidant, & cetera senescant, vt infirmentur fortia, & magna minuantur, vt cum infirmata & diminuta fuerint, finiatur. Haecenus Cyprianus. Sed quid ego Cyprianum comemoro, cum & apostolicis & euangelicis passim vocibus admoneamur in nouissimis diebus instare tempora periculosa, futurosque homines nimium sui amantes: quo tempore & iniquitas abundare, & charitas debeat refrigerare? Si igitur cum ipsis temporibus omnia pariter mala creuerunt, maiori ergo virtute, prudentia, sollicitudine, vigilantia, temperatione, ac disciplina eget, quisquis tot malis corrigendis atque curandis praefectus est. Meliori nam nauclero in sequiori tempestate, & peritiori medico in grauiori aegritudine, praestantiorque ducere in desperata victoria opus est. Denique ne in hac tanta causa ad solam rationum opem confugiamus, & antiqua patrum exempla, & Conciliorum decreta antiquata esse fingamus, addo his omnibus Tridentini Concilij decretum, quod nostris celebratum temporibus, nostrisque curandis moribus institutum, omnem penitus excusationis ansam praeripuit. Sic enim ait, Oprandum est vt ij qui episcopale ministerium suscipiunt, quae suae sint partes agnoscant: ac se non ad propria

2. Tim. 3.

Mat. 24.

Sessio. 25

Cap. I.

pria cōmoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, fideles reliquos ad religionem, innocentiamq; facilius inflāmandos, si præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituēdam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse sancta Synodus animaduertat, admonet Episcopos omnes, vt secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis, ipsi, ac vitæ actionibus (quod est veluti perpetuum quoddam prædicandū genus) se muneri suo conformes ostendāt: In primis verò ita mores suos omnes componāt, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, cōtinentiæ, ac (quæ nos tantopere cōmēdat Deo) sanctæ humilitatis exēpla petere possint. Quapropter exemplo Patrū nostrorū in Concilio Carthaginensi, non solum iubet, vt Episcopi modesta suppellectili & mōsa, ac frugali victu contenti sint, verum etiā in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, dei zelum, ac vanitatum contemptū præseferat. Hactenus verba Concilij: quæ omnem nobis errandi aditum præcludunt.

Hebr. 12

Nullus enim qui Christianum se esse profiteatur, adeo insolens erit, qui iudicium suum Ecclesiae auctoritati & iudicio velit anteferre. Quod si ita est, non habet igitur quisquis fastuose viuit, & quotidie splendide epulatur, magnosq; famulorum greges alit, & in hoc tam magnos Ecclesiae redditus pauperibus profuturos, insumit; quo se vlla ratione tueatur: cum aduersum se tot habeat rationes, tot patrum exempla, tot Doctorum sententias, tot deniq; & antiquorum & recentiorum Conciliorum sanctiones atq; decreta. Contra ratam enim nubem testium nulla stare potest aut resistere humana prudentia. Quae ideo tam multis a me dicta sunt, partim, vt si qua fieri posset, contrariam sententiam, quae Ecclesiae rationibus nocetissima est, ex multorum animis funditus euellerem: partim vero vt his armis Episcopi vere Christiani pectus aduersus omnes mundi machinas, quae huic proposito vehementissime aduersantur, muniretur. Vt omittam enim humane prudentiae rationes (quae aliud suadent) & ipsam naturae corruptae propensionem (quae sponte sua ad fastum magis & gloriam, quam ad humilitatem & parcitatem fertur) tot sunt etiam otiosorum & inopum hominum in Episcoporum clientelam recipi

volentiū greges (qui hoc vitę genere sine multo labore, tum inopię suę, tum honori, cōsultum iri putant) vt nisi firmissimis his veritatis præsidijs Episcopi mens fuerit communita, vix efflagitantium importunitatibus resistere queat. Vbi enim primum quis in Episcopum designatus est, velut prædam quandam Episcoporum esse arbitrātes, protinus ad eum vndiq; amici, consanguinei, affines, viri potentes & nobiles accurrunt, aliusq; filium in famulū, alius fratrem, alius nepotem, alius seruum offerunt: instant, obsecrant, vrgēt, atque omni ratione miserum pastorem vexant, famulisq; onerare contēdunt (quos dum semel admiserit, excludere perpetuo non possit) vt nisi constanti & infracto aīo sit, importunitati vict⁹ cedat & contentioni flagitātium. Quo fit vt tor oneribus pressus, tantisq; expensis addictus, vix quidquā ei supersit, quo & multorū inopię & periclitanti Ecclesię subuenire possit.

LIBER XI.

HÆC sunt Patres Amplissimi præcipue partes & officia quæ ad dignitatem cœlestis huius peneq; diuini muneris requiruntur. Sed quoniam Episcopus non solum pastor, sed etiam sacerdos est: quorum alterum ad homines, alterum ad Deum magis referen-

*Quod sit
præcipuū
Episcopi
munus.*

Concio

dum est, necessarium videbatur, vt de sacerdotis quoque officio hoc in loco aliquid diceremus, Verū quia de solo hic pastoris officio orationem institui, hac modò parte præmissa, superest vt hæc ipsa quæ ad illius dignitatē pertinere diximus officia, inter se conferamus: & quid inter ea potissimū excellat, expendamus. Multū enim refert quid quo loco sit habendum, & quid primū, quid postremum faciamus. Sunt enim nonnulli qui præcipuas Episcopi partes esse definiāt, optimum & incorruptissimū iudicem sese gerere, vt scilicet diligenter & sollicitè popularium suorum causis intendat, & suum cuique ius fideliter tribuat. Et quidem nō pauci sunt, qui dum hoc rectè faciūt, satis se munere suo functos arbitrentur. Sunt alij, qui cum Episcopos patres pauperū esse audiūt, nihil illis ad tantæ huius dignitatis fastigiū deesse putant, si & honeste viuūt, & in pauperum necessitatibus leuādis liberales sunt. Vulgus enim hominum utilitate sua Principum Episcoporumq; probitatem dignitatēque metitur: eumq; appellat sanctiorē, quem erga se expertus fuerit liberaliorē. Sunt & alij qui quoniam doctoris & magistri officium Episcopis potissimum tribuunt, præcipuas

cipuas eius partes in docendo & concionando positas esse credunt. Nō defuerūt etiā qui orandi munus (quod propriè sacerdotum est) Episcopo tanquam principi sacerdotū primo loco tribuēdum esse censerent: quia videlicet res tractet arduas, & supra naturā hominum positas: qualis est animarū salus: quæ oratione magis ac diuina virtute, quam humanis viribus peraguntur. Sic enim Moses (qui perfectissimi pastoris imaginem nobis exhibuit) orādo, & cum Deo magis quā cum hominibus agendo, pastorali munere factus est. Aarone enim fratre pro ore suo & propheta utebatur: sicut ei a Domino fuerat imperatum. Orando autem impendentem in populum iram domini frequenter repulit, legem à Deo impetrauit, maria diuisit, Ægyptiorū currus exercitumq; prostrauit, aquā è petra, & māna è cælo produxit, Amalechitarum agmina fudit, & de exteris gētibus trophæa sæpe inclita reportauit. Qua ratione permoti nōnulli haud contemnendæ doctrinæ viri, in hac fuerunt sententia, vt præcipuū perfecti pastoris officium in orādo collocarent: quod sanctus Valerius ita & sēsisse, & præstitisse videtur: qui cū prædicandi munus Vicentio diacono suo tradidisset.

*Exod. 4.**Exo. 20.**Exo. 14.**Nu. 20.**Exo. 16**Exo. 17.*

ipse orationi rerumq; cęlestium contempla-
 tioni vacās, salutem ouium suarum iugiter
 Domino cōmendabat. Cęterum quāuis of-
 ficia hęc omnia & vtilissima & pastorali
 muneri prorsus necessaria sint, docendi ta-
 men & prædicandi propriū esse præcipuūq;
 Episcopi officiū, in hac sacra Tridētina sy-
 nodo definitum est. Neq; id immerito. In ijs
 enim quę ad finem aliquem destinantur, ra-
 tio eorum & dignitas ex ipso fine iudican-
 da est. Quo enim quęq; res fini propinqui-
 or existit, magisq; ad illum assequendum iu-
 uat, eo vtilior, & magis necessaria est. Finis
 autem Episcopalis officij is est quę Episco-
 pū in manu & ob oculos perpetuo gestare,
 Ecclesia voluit. Ideo enim anulum continē-
 ter gestat, vt quemadmodum Iudæis olim
 à Dño præceptum fuit, vt in ora pallij vit-
 tas hyacinthinas circumferrent: quas cum
 aspicerent, officij sui, atque diuinę legis re-
 cordarentur: ita cum Episcopi symbolum
 hoc in manibus & ante oculos positum
 cernerent, admonerentur sponso se Ec-
 clesię esse, ex qua spūales quotidie filios
 suscipere debeant & procreare. Huius enim
 spiritualis matrimonij finis est spiritualis so-
 boles: qualis illa erat de qua Apostolus glo-
 riabatur dicens, Nam etsi decem milia peda-
 gogorū

Sessio. 24
64.

Num. 15

1. Cor. 15.

gogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo I E S V per Euāgeliū ego vos genui. Est ergo huius officij finis, spiritualis filiorum propagatio: hoc est sceleratorum hominum à vitijs ad virtutū studia conuersio: quæ cælestis verbi semine & ministerio fit: per quod proximorum animas Christo lucrifacimus, & Ecclesiam Dei fœcundamus, ac noua prole locupletamus. Ad hoc autem efficiendum quis dubitat prædicandi atque exhortandi munus propius pertinere? Cetera enim Episcopi officia, quæ uis ad hunc omnia finem referantur, lōgius tamen ab illo distant: exhortari autem & monere, atque à vitijs ad virtutum homines traducere, hoc vere est spiritualibus liberis operam dare, sparsōque verbi cælestis semine, filios Christo generare. Quod Apostoli spiritu Dei pleni exēplo suo euidentissime docuerunt: qui viduarum & pauperum curam lectissimis ad hoc viris comendātes, orandi solum ac docēdi munus sibi reliquerunt. Quorum exemplum sequuta synodus Carthagin. quarta, decreuit, vt Episcopi procurationem viduarum & pupillorum archipresbiteris, vel archidiaconis cōmitterent: ipsi vero (vt ante diximus) lectionis, orationis, & prædicationis studio se totos addice-

Act. 6.

rent,

Concio

rent, quo ad virtutem & religionem rudem
populum erudirent: prudenter sane mino-
ra minoribus, maiora verò maioribus Eccle-
siæ ministris delegantes. Constat enim cor-
poralibus spiritualia longe maiora esse: ac
proinde maioribus ministris relinquenda.
Quid vero Apostolū Paulū cōmemorē, qui
nō modo hæc quæ ad corporis obsequium
referuntur, sed sacramentorum etiam mini-
sterium à se ablegavit: vt vni tantum prædi-
cationis officio vacaret? Ait nanque, se à
Christo nō fuisse missum baptizare: sed euā-
gelizare. Neque verò in noua tantum: sed
in illa etiam adhuc carnali & veteri lege idē
factitatum esse deprehendimus. Ietro enim
Mosis socer hoc genero consilium dedit, vt
causarum quidem secularium definitiones
inferioris ordinis hominibus delegaret: ipse
verò populo in ijs quæ ad Deum pertinent
præficeret: vt ostēderet eis cæremonias ritūq;
colēdi. Vides ergo doctrinæ potissimū & re-
ligionis curā sūmo pastori Moyli cōmissam:
litiū verò & causarum seculi contentiones
velut tanto indignas præfule, ad inferiorum
iudicia relegatas? Quod contra faciunt ple-
rique nostrorum prælatorum: quorum o-
mnis penè cura & sollicitudo in hoc vno cau-
sarum studio consumitur, nobilissima præ-
dicandi

1. Cor. I.

Exo. 18.

dicādi sarcina (ac si nihil ad eos pertineret) alijs commissa. Quo quid esse potest monstrosius? Si enim Apostolus monet, vt ad iudicia secularia componenda, vel cōtemptibiles qui sunt in Ecclesia constituentur, qua fronte qui summum in Ecclesia gradum obtinent, qui ipsius dei vices gerunt, qui ad spiritualia ac diuina tractanda (vt spirituales, ac diuinos penè homines reddant) potissimū destinati sunt, ad abiectissima hæc relicto diuini verbi ministerio se demittent? Quis enim æquo animo ferat, ea quæ oculorum propria sunt, pedibus cōmitti: quæ verò pedum officia sint, oculis aptari? Pertimuit princeps pastorū Petrus ab usum hunc in Ecclesiam irrepsturū: ideoque morti iam proximus, conuocatis ad se fidelibus & Ecclesiæ ministris, sermonem habuit tali sane pectore dignū: quo explicās quæ potissimum munia singulis Ecclesiæ gradibus ac ministris conuenirent, Clemēti quem pro se Pontificem sufficiebat, hoc potissimum docendi munus (omnibus alijs huius vitæ negotijs ablegatis) his verbis cōmisit. Te quidem oportet irreprehensibilem viuere: & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias.

Et

Cōncio

Et mox, Sicut (inquit) tibi impietatis crimē est, neglectis verbi Dei studijs, sollicitudines suscipere seculares: ita unicuique laicorum peccatum est, nisi inuicem sibi etiam in his quæ ad communis vitæ vsum pertinent, operam fideliter dederint. Te vero liberum reddere ab his quibus vacare non debes, oēs cōmuniter elaborent. Quod si fortè à semetipsis hoc laici non intelligūt, per diaconos edocendi sunt, vt tibi solius ecclesiæ sollicitudines derelinquāt: quo ipsam, vt dignum est, dispensare sufficias, & veritatis verbo abundantius & studiosius deseruire. Si enim mūdialibus curis fueris occupatus, & te ipsū decipies, & eos qui te audiūt. Nō. n. poteris quæ ad salutem pertinent plenius singulis quibusque distinguere. Et ex eo fiet, vt & tu tanquam qui non docueris ea quæ ad salutē hominum pertinēt, puniaris: & discipuli per ignorantiam pereant. Idcirco tu quidem ad hoc solum vacato, vt opportune & sine intermissione doceas verbum Dei: per quod salutem ceteri consequantur. Hactenus verba Petri: quæ Clemēs in Epistola ad Iacobū fratrem Domini refert: quæ vel sola sufficere deberent, vt docendi studium præcipuū esse Christiani pastoris munus intelligam⁹.

At inquires. Quid ergo is faciet, cui aut na
tu

*x. 80. Cons
eil. fol. 33*

tura dicendi facultatem largita non est: aut quam aliquando habuit, senectutis incommodis, infesto ve alio casu amisit? Nū præcipua summaque pastoralis officij parte destitutum esse iudicabimus, qui tamen alijs omnibus instructus sit? Aggrediar huic quoque parti quoad potero satisfacere. Principio, quisquis hac facultate destitutus est, potest idoneos verbi Dei ministros (vt ante monuimus) diligenter inquirere, & per varia loca distribuere: vt per alios pluribus in locis præstare possit, quod per se quidem in vno tantū loco fuisset præstaturus: atque hac ratione duces exercitus imitabitur: qui quāuis in prælio ipsi non pugnent, pugnantibus tamen præsent: & pro fatigatis integros sufficiunt: atque hoc modo plus agunt, quā si soli ipsi pugnaret. Quod plane sanctū Valerium Hyponen. Episcopū per Augustinū, & Valerium Cæsaraugustanum per Vicentium diaconum, eundemque martyrem inuictissimum exequutos fuisse diximus. Et hoc nostro etiā seculo nonnullos commemorare possem antistites, qui hoc idem exemplum sequuti, non sine magnis sumptibus doctrinæ pabula ouibus suis alieno ore ministrant. Hac ergo ratione, pro vno concionatore, plures poterit optimus Episcopus subrogare.

Concio

¶ Præterea, cum ab Episcopo tanta seueritate prædicandi munus exigo, non prorsus hanc vulgarem declamandi rationem, quæ nunc potissimum in vsu est, exigo: quâuis illam non possum non maximopere cõmendare. Hæc. n. partim diuturna consuetudine (quæ asperrima quæq; molliit & frãgit) partim concionatorum vitio (quorum pluri mi ad auram se popularem magis, quã ad publicã vtilitatem accõmodant) partim verõ auditorũ incuria (qui aurium potissimũ voluptatem captantes, pluris orationem plenã ac teretem, verborũ lenocinia, sermonis ornatum & elegantia, quã sententiarũ pondera & verba diuini amoris flammã aspirantia, faciunt) multũ iã roboris & acrimoniæ amississe videtur. Quid. n. mirũ si languêtes concionatores, & ad oblectationẽ magis quã ad edificatiõẽ populi loquêtes, ita audiãt: quĩ Prophetas olim spũ dei plenos hoc mō audiẽrũt: Sic. n. dñs ipse ad Ezechielẽ ait, Audiũt sermones tuos, & nõ faciũt eos: quia in cantũ cũ oris sui vertũt illos: & es eis velut carmẽ musicũ: quod suauis dulciq; sono canitur. Ad hũc ergo modũ, quidã hoc tẽpore ita affecti sunt, vt cũ concionẽ audiũt, nõ concionatorẽ audire, sed velut cõcionatoris personã in scæna sustinentẽ, audire videãtur: quasi thea-

trum

Ezechiel.

33.

trū esset Ecclesia: in qua non res, sed rerū simulachra veritatē imitantia, agerētur. Quare, aliā docēdi rationē in Episcopo saltē hoc tēpore desiderauerim, quæ minus habeat operis, & plus vtilitatis: quæq; tota nō ad gratiā, sed ad vtilitatē instituta sit. Cōstat. n. hominū animos generalibus viuēdi præceptis minus cōmoueri: plurimū verō ijs quæ specialia sunt, & ad actiōes particulares referuntur. Sequatur ergo Episcopus genus docēdi illud quod Apostolus in calce omniū fere epistolarū suarū sequit^r est: dū sigillatim cuiuscūq; status homiēs instruit: mō filios, mō parēres, nūc seruos, nūc dños, nūc viros, nūc vxores, nūc senes, nunc iuuenes: diligenter quæ cuiq; ppria sunt, præscribēs, & Titū Episcopū vt idē ipse faciat monēs. Tu aut (inquit) loquere quæ decēt sanā doctrinā. Senes vt sobrij sint, pudici, prudētes, sani in fide & dilectiōe. An^o, similiter &c. Ad hūc. g. modū Epūs poterit ad particularia virtutū officia orōnis argumētū inclinare, paterna charitate & solitudine subditos suos adhortādo, vt orationi suis tēporibus diligēter incūbant, pios libros legant, verbum dei humiliter & attente audiant, sacramenta deuote frequentent, carnem, ne petulanter insolescat, ieiunijs macerēt, pauperū curam gerant, pacē mutuāq;

Ad Ti. 2.

Concio

mutuamq; inter sese charitatem, etiam cum rerum suarum dispendio, retinere curét: rursumq; vt a vitijs se solícite custodiát, præsertimq; a detractiõibus, odijs, factiõibus, vsuris, impudicis oculis & actibus, & iurandi etiam, maledicendi, & imprecandi praua cõsuetudine. ¶ Doceat etiam qua ratione confiteri, & ad sacram Eucharistiam præparare se quisq; debeat (quæ res vt maxime necessaria est, ita etiã latissime patet) qua ite reuerentia & silentio in Ecclesia diuinis offi tijs assistere: quomodo filios famulosq; ad pietatem erudire, qua ratione quantaq; celeritate serpentis antiqui suggestionibus tẽtationibusq; resistere, qua item cura suã quõtidie vitam & mores examinare debeát. Singula verò horum testimonijs scripturarum, sanctorumq; patrum dictis, exemplis, similibus, & figuris adhibitis, illustrari poterunt & confirmari. Quod genus argumentorum tã late patet, vt cū semper eadem penè res suadeatur, aliud tamen atq; aliud dici videatur. Quæ omnia sedata oratione tractãda mihi esse videntur: quæ quo minus ad vulgare hãc declamandi rationem accedit, eò plus & grauitatis, & vtilitatis habitura est: vtpote quæ ab omni suspiciõne artificij (quod dicenti fidem abrogat) aliena est. ¶ Sed hæc ad publicas

blicas conciones conferunt. Sunt autem & priuata colloquia, nempe priuatæ admonitiones, consilia, correptiones, & obiurgatiōes: in quibus illud Apōstoli impletur, *Ar- 2. ad Tim.*
gue, obsecra, increpa, in omni patientia & mo. 4.
 doctrinā. Sunt præterea secretæ peccatorum confessionses, in quibus maximè his admonitionibus locus est: quæ hoc tempore tanto sunt vtiliores, quanto pœnitentis animus tū opera sua, tum etiam sacramenti virtute ad docendum paratior est. Cui officio qui se destinauerit; verus sine dubio Ecclesiæ magister & minister erit: & miranda Deī operā (quæ in hominū mētibus secretò operatur: & quæ illum & in admirationem & mutationē vitæ rapiant) sæpe videbit. Quin & Clerici partim singuli, partim vniuersi sæpe vocandi; & officij sui paternā charitate monēdi sunt: Quod fecit olim Ezechias religiosissimus princeps: qui ascitos ad se sacerdotes & Leuitas, placidā atque sollicita oratione admonuit dicēs, Filij mei, nolite negligere: vos elegit Dominus vt stetis coram eo, & ministretis illi, colatisq; eum, & cremetis ei incensum, &c. Si igitur ministros diuini cultus ad officia suā rex pijsimus his verbis acuebat, quid ergo Episcopus diuino cultui præfectus, facturus est? His ergo & alijs ratiōnibus

Paral. 2^a
 19.

Concio

Ioan. 21.

tionibus facile erit optimo cuique pastori docendi munus (quod illius maxime proprium est) exercere. Quod si ad hanc docēdi rationē vita accesserit immaculata, & oratio pro ouibus assidua, tunc illud implebitur quod à Domino trina illa repetitiōe Petro cōmendatum est, *Pasce oues meas*. Quā trinā repetitionē D. Bernardus ad hęc tria boni pastoris officia referendā esse declarauit: vt videlicet bonus pastor oues suas pascat, primum verbo, deinde exemplo, ac demum oratione: qua assiduis à Domino precibus contendat, vt quod ille seminauit verbo, & rigauit exemplo, spiritu ille suo ad incrementum perducere dignetur.

Tertia Pars.

Postea quàm de præcipuis prælatorum virtutibus & officijs dictū à nobis est, superest illud quod ego mihi tertio loco proposueram, nempe, cum tam multa ad huius officij dignitatem exigātur, cur Dñs toties à Petro pastorum principe, solam exigere videtur charitatem, cum iterum ac tertio hoc solum ab eo requirat. Plurima. n. alia esse, quę ad recte munus hoc administrādū requirātur, satis apte in superius demōstrauimus: *Necessaria. n. est prudētia in rebus*

rebus agendis, ſolicitudo in prouidendis, labor in negotijs, fortitudo in periculis, miſericordia erga pauperes, iuſtitia in iudicio, ſtudium prædicandi, munus viſitandi, cura corrigendi, & cætera quæ ſupra cõmemorauimus. Quòd ſi hæc omnia Episcopum verè Chriſtianum & apoſtolicum efficiunt, cur nihil horum Domin⁹, ſed ſolam iterum atq; iterum vrget charitatem? Quòd ſi dixeris præcipuas in Epifcopo partes obtinere charitatem, rectè ſane: habeat ergo primum in hoc ipſo examine locum: detur etiã ſuus ſcientiæ, atque prudētiae locus: ſine qua nihil quidē in vit⁹ (nedum in Eccleſia) rectè poteſt adminiſtrari. Video me P. A. profundum pelagus ingreſſum: Intelligo enim extremam hanc Orationis meæ partem, apertiffimam ſimul & obſcuriſſimã eſſe: apertiffimã quidē ijs qui perfectæ charitatis vim, nõ quidē legēdo vel audiēdo, ſed amādo didicerūt: cæteris verò obſcuriſſimã, ſimilēq; libro illi quē Eſaias Propheta literatis & illiteratis ex æquo clauſū eſſe deſcribit. Vtriſq; igitur hæc pars ſupvacanea eſſe videtur: illis, quoniã apertiffima, his vero quoniã clauſa prorsus & inaccessa eſt. Sed ne nihil in hac tâtare dicere videamur, aggrediar tñ, & rei obſcuriſſimæ quã potero lucē afferre nitar. Princi-
pio ig̃ illud ſtatuēdū eſt, hoc in loco Dñm,

Eſai. 29

Concio

cum de charitate Petrum examinat, non de quacūque charitate, sed de ea quæ perfectā est, interrogare. Cōstat. n. multos esse in charitate gradus: charitas .n. (ait Aug.) vt perficiatur, nascitur: cū fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectū venerit, quid dicit? Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Hanc ergo perfectā charitatem Dominus in Episcopo requirit: quia cum is nō solū ad perfectionē tendere, sed in ipso iam perfectionis culmine esse debeat: perfectio autē omnis in charitatis perfectione sita sit (vt D. Thomas philosophatur) necesse est, vt qui secundum exigentiā professionis suæ perfectus est, perfectā quoque habeat charitatē, sine qua perfectus non est. Quod euidenter quidem alibi Dominus expressit, cum de charitate pastorū loquēs, Bonus, ait, pastor, animam suam ponit pro ouibus suis: quod plane perfectæ charitatis est: quia vt idem ipse alibi dicit, maiorē charitatē nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Huiusmodi ergo charitatem Dñm à pastoribus in superprioribus verbis requisisse, declarat D. Bern. his verbis. Non otiose toties repetitum est, Petre amas me in commissione ouiu. Ego quidem id significatum prouide puto, ac si dixisset

*Aug. sup.
1. Cano.
Ioan. :*

*S. Tho.
22. q. 184
ar. 6.
S. Tho.
ibidē ar.
6.*

*Ioan. 10.
Ioan. 15.*

*Bern. sup.
per Cant.*

xisset illi I E S V S: Nisi testimoniū tibi perhibente conscientia quòd me amas, & valde perfecte ames, hoc est plusquā tua, plusquā tuos, pl⁹ etiāquā te (vt hui⁹ repetitionis mee numerus impleatur) ne quaquā suscipias curā hāc: nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus vtique meus effusus est sanguis. ¶ Cæterū perfectæ huius charitatis vis quāta sit, neminem (nisi id expertus fuerit) vlla oratione consequi posse, diximus. Vnde idē Ber. qui tam multa de hac virtute, non tan disputando, quā experiendo didicerat, vbi amorem libri Cāticorum materiam esse dixisset, ita ait. Amor vbiq; loquitur: et si quis horum quę legūtur cupit adipisci notitiam, amet. Alioqui frustra ad audiendū legendū ve amoris carmen qui nō amat accedit: quoniam omnino non potest capere ignitū eloquium frigidum pectus. Quomodo enim græce loquentem non intelliget, qui græcā linguā nō nouit: nec latine loquētē, qui latinus nō est: & ita de cæteris: sic lingua amoris ei qui nō amat, barbara erit: erit inquā sicut æs sonās, & cymbalum tiniens. Sed quid mirum si diuini huius amoris vim natura hominis non capiat: qui nec ipsius etiā naturalis amoris vires (nisi fuerit expertus) non assequitur. Agesilaū enim clarissimū Lacæ-

*Bern. sus
per Cant.
Ser. 79.*

Concio

Plutarch demoniorum regem Plutarchus memorat,
in Apo. cum miro esset affectu erga liberos suos, arū
phsb. dine semel pro equo cōscensa, lusisse cū illis
 domi. Quod cum forte ex amicis eius quidā
 vidisset, rogatus ab eo est, ne cui quod vide-
 rat denuntiaret, quousque ipse parēs filiorū
 esset effectus: haud obicure significās, pater-
 ni erga filios amoris vim, neminē qui pater
 nō esset, facile comprehensurū. Si ergo amo-
 ris huius efficacīā (quæ adeo conspicua esse
 videtur) nemo nisi parēs intelligere potest:
 quomodo quis superni illius amoris ignem
 qui à Spiritu sancto est, quiq; omnem natu-
 ræ vim superat, naturali solū ductu, sine vl-
 la eius experiētia capere poterit? ¶ Sunt tū
 signa quædā, quæ velut scintillæ ab hoc igne
 prodeuntes, vim eius aliqua ex parte indi-
 care possunt. Qualis enim erat ignis ille qui
 in tot Martyrū ac Virginū cordibus æstua-
 bat, cum rāta alacritate ad carceres, ad ignes,
 ad equuleos, ad gladios, ad sartagine, & cra-
 tículas, & omnia pœnarum genera, propter
 amorē dñi certatim properabant? Quo igne
 ardebat Laurentius, qui Valeriano varia tor-
 mentorum genera minitanti, alacri fronte
 respōdit, Infelix, has epulas ego semper opta-
 ui? Et ne ab eius oratione animum dege-
 nerasse credas, cū in craticula superpositus
 vehementer

vehementer ambureretur. Isti, inquit, ignes refrigerium mihi præstant. Quid quæso in medijs flâmis nisi perfecta charitas, inuenire potuit refrigerium? Qua etiam charitate erat Vincentius, qui ad impijssimum Datianum similia minitantem, ait. Insurge ergo, & toto malignitatis spiritu debacchare: vide bis me Dei virtute plus posse dū torqueor, quam possis ipse qui torques? Qua erat etiã charitate gloriosus martyr Ignatius, qui dum Romam bestijs obijciendus asportaretur, ipsas immanes bestias, velut charissimos amicos, his vocibus cōpellabat. O salutare bestias, quæ præparatur mihi. Quando venient? quando emittentur? quando eis licebit frui carnibus meis? Quas ego opto acriores fieri, ne fortè (sicut in nonnullas fecerunt) vereantur contingere corpus meū. Quòd si venire noluerint, ego vim faciã vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, ego scio quid expediat mihi. Nūc incipio esse discipulus Christi. Quibus verbis quid excogitari potuit, aut amantius, aut violentius? Qualis etiam erat Pauli charitas: qui ad Philipenses ita scribit, Sed etiã si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ; in hoc gaudeo & cōgratulor omnib' vobis.

Philip. 2.

:Concio

Ad ipsum vos congaudete & cōgratulamini mihi. Quis quæso tale genus gratulationis & gaudij aut legit, aut vidit vnquā? Quis hic diuinā virtutē & potestātē nō agnoscat? Quis non videat omnia penē iura sua hic amisisse naturam? ¶ Cæterum ex hac vehementissima in Deum charitate similis (velut à perenni quodā fonte) oritur amor in proximum: non tanquam in aliquid alienū & peregrinum à Deo: sed tanquam in aliquid diuinum, quodq; sub eandem cadit diligēdi rationem. Sunt enim proximi non modò creaturę Dei, ad ipsius imaginem cōditę: sed etiam serui, sed domestici, sed filij, sed membra ei⁹, de carne eius, & de ossibus ei⁹. Hinc totus ille fons amoris qui recta tendebat in Deum, protinus à Deo in homines, tāquam in aliquid diuinum, eodē impetu fertur. Hinc illa mirabilis sanctorum aduersus proximos charitas, quæ pro ipsorum salute libenter mortem extremaq; omnia pati, paratissima erāt. Hæc igitur paucis de charitatis vi ac potentia dicta sint. nunc ad rem.

Hanc ergo charitatem, aut penē parem, Dominus ab ijs exigit, quibus animarū curam cōmisit; quæ vt maximo pretio emptę, ita maxima cura procurandæ sunt. Hanc .n. à Mose requisituit, vel eodem ipso Mose testante

Ephe. 4.

testante qui ad ipsum Dominum queritur dicēs, Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, aut genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, quasi gestaret nutrix infantalum? Eandem etiam præstitit Apostolus: qui cum sæpe aliàs, tum ad Thesalonicenses scribit in hunc modum, Facti sumus paruuli in medio vestri, tanquam nutrix quæ foueat filios: ita desiderâtes vos cupide, volebamus vobis tradere non modo Euangelium, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. Quibus verbis quid dici potuit amantius? Nec solum Apostoli, sed sancti etiã Pontifices & Apostolici viri hanc eandem proximis dilectionem exhibuerunt. Sic enim D. Ambrosius ait, Non minus vos diligo quos per Euangelium genui, quam si cõiugio suscepissem: non enim vehementior ad diligendum est natura, quam gratia. Hanc ergo dilectionem Dominus hic à Petro exigit, cum ait, Symõ Ioãnis diligis me plus his? Pasce oues meas. Quod perinde est ac si diceret, O Petre, si verè & ex animo diligis me, si nominis mei gloriam illustrare desideras, si oues meas, quarum salus, vita ipsa mihi charior fuit, (vt par est) diligis: si deniq; te ipsum totum, tot nominibus mihi debes, mihiq; aliqua

Num. 11.

1. ad Thea
sa. 2.Ambros.
de offic.

Ioã. 21.

Concio

ex parte gratificari, & amoris meo vicem re-
pēdere cupis, pascere oves meas: quas ego fuso
sanguine meo pavi: quia dū illas pascis, me in
illis pascis, me impinguas, me alis, mihiq; ipsi
cōfers, qdqd in illas impēdis. Ego. n. ille ipse
sū qui olim dixerā, Qd vni ex minimis meis
fecistis, mihi fecistis. Et illud, Hæc requies
mea, reficite lassū, & hoc meū refrigerium.
Etsi mihi tributum esse puto, quod in meo-
rum corpora impensum est: alienum esse pu-
tabo quod mentibus pro quibus libēter ani-
mam posui, impendatur? Diligenter verò
Domini verba notanda sunt. Non enim ait,
si diligis oves meas, pascere illas: quod planè
consequi videbatur (vt videlicet ex ipsa di-
lectione, dilectionis opus & beneficium cō-
sequeretur) sed ait, si diligis me, pascere oves
meas. Quasi dicat, Si me amas, & ea pariter
quæ mea sunt, amare debes: nihil autem præ-
ter me ipsum magis meum est, quam oves
meæ: quas ego ipsa mea carne pavi, sanguine
potavi, & morte ad vitam reuocaui. Si ergo
nihil magis meum est quā vita mea, quanto
pere id meum erit, pro quo ego ipsam vitā
meam impendi?

Quisquis ergo huiusmodi charitate fla-
grat, quò ardentius Dominum diligit, eò ve-
hementius ad proximos conuertitur, ac ro-
tam

tam illam charitatis vim qua in Dei obsequium fertur, fertur in proximū. Animaduvertit enim nihil minus pro illorū salute se esse facturum, quā is fecit, qui eos illi rātope re cōmendauit. Intelligitq; vel ex hoc nullū ei obsequiū gratius futurū, quā si diligētissimē curare studeat, quod rāto ille studio curādū suscepit. Meminit enim à D. Dionysio dictū esse, omniū diuinorū diuinissimū esse, cooperari Deo. in reductiōe animarū ad ipsū. Cui cōsērit & illud Greg. nullū esse videlicet sacrificiū Deo gratius, cura animarū. Et rursū. Ille (inquit) in amore Dei maior ē, qui ad ei⁹ amorē plurimos trahit. Idē quoq; alibi. Tunc mirabiliter in altū charitas surgit, cū ad ima pximorū se misericorditer inclinat: & quō benigne descēdit ad ima, eō ualētius recurrit ad summa. Ad hęc, ipsam etiā animarū dignitatē mirabilēq; pulchritudinē sibi ante oculos pponit: quæ uehemēter optimiciusq; pastoris animū ad ipsarū amorē & curā acuit. Hinc de beata Catherina Senē. legimus, quod aliquādo cū forte iuxta domū illius cōcionator quidā trāsisset, domū egressa, eius impressa humo uestigia osculari cœpit: rogataq; cur id faceret: quia pulchritudinē (inquit) animarū in gratia degēzium, mihi Dñs. uelut spectandam proposuit: quo factum est, ut continere me vix

*Greg. sup
Ezechi.
Grego. in
homil.
Idem in
Pastor.*

Concio

possim, quin vestigijs eorum qui purifican-
darum animarum curam gerunt, oscula fi-
Eesai. 22. gam: & cum Propheta clamem, Quã speciosi
pedes euangelizantium pacem, euangelizã-
tium bona. ¶ Cum igitur omnia hæc fide-
lis pastor studiose cõsideret, tãta in eius pe-
ctore charitatis flamma erga animarum sa-
lutem excitatur, vt totus ferueat in earum
salute procuranda: nihilq; sit illi tam charũ
& pretiosum, quod huic negotio antefere-
dum putet. Hinc D. Bernar. ait, Hoc vera &
casta contemplatio habet, vt mentem quã
diuino igne vehementer succenderit, tanto
interdum repleat zelo & desiderio acquirẽ-
di Deo qui eum similiter diligant, vt otium
contemplationis pro studio prædicationis
libentissime intermittat. Huius autem ve-
hementissimi ardoris ac desiderij typum no-
bis exprimit sancta illa mulier, quæ in Apo-
Apor. 12. cal. Ioannis visa est amicta Sole, & calciata
Luna, stellisq; ardentibus coronata: quæ
tñ cruciabatur vt pareret: quod nobis ardẽ-
tissimum Ecclesiæ desiderium (quo propa-
gandæ religionis, spiritualisq; sobolis au-
gẽdæ flagrabat) cruciatibus ac dolore par-
tus significatur. Hoc enim desiderio fla-
grabat Apostolus, qui nullum pro animarũ
2. Cor. 12. salute discrimen recusaturum se esse testa-
tur,

tur, cum ait, Ego autem libentissime impē-
 dar & superimpendar ipse pro animabus ve-
 stris: licet plus vos diligens, minus diligar.
 Quo quid dici potuit amātius? Nō. n. vnam
 rātam vitam quam habebat: sed innumeras
 etiam si haberet vitas, libenter pro illorum
 salute expositurus fuisset. Hoc enim signifi-
 cat cum ait, Ego autem non modo impen-
 dar, sed etiam (si quid aliud post vitā super
 esset) libentissime propter vestram salutem
 sup impēderē: etsi vos huic amori meo vicē
 non rependatis: quia non quēro quæ vestra
 sunt, sed vos: nec tam de vita mea, quam de
 vestra sollicitus sū: quia nūc (ait) viuim⁹, si
 vos statis in Domino. Ad eūdem etiam mo-
 dum de beatissimo Dominico patre nostro
 legimus, quòd totus liquefieret arderetque
 quasi facula, pereuntium animarum zelo &
 amore succensus. Quo quidem zelo ductus,
 prædicatorum ordinem primus excogitavit:
 qui totus vni huic studio esset intētus. Sed
 hæc tamen adhuc longe minora charitatis
 indicia sunt, si cum ijs quæ Paulus ad Ro-
 manos scribit conferatur. Veritatē (inquit)
 dico: non mentior, testimonium mihi per-
 hibente conscientia mea in Spiritu sancto:
 quoniā tristitia mihi magna est, & cōtinuus
 dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse
 anathema

Thes. 3.

Rom. 9.

Concio

anathema esse à Christo pro fratribus meis,
 &c. Vide quæso quo illū vis amoris Christi
 vehemētissima perpulit. Ex eodē enim cha-
 ritatis fonte atque habitu procedit Dei, &
 omniū quæ ad Deum pertinent amor: quæ
 admodum ex paterno erga filium amore, nō
 solum amor filij, sed omniū etiam quæ filij
 sunt, deriuatur. Cum ergo nihil magis ad
 Deum pertineat quā ipsius gloria & anima-
 rū salus: quā ipse vitæ suæ dispēdio compa-
 rauit: hinc Apostolus (cuius pectus tanto
 Christi amore flagrabat, vt ab eius illū cha-
 ritate, neque terrestria, neque cœlestia, neq;
 infera aut supera separare possent) modo tā-
 ta eius gloriæ salutisq; animarum charitate
 succensus est, vt non modo velit, sed etiam
 optet (si quidē fieri posset) non quidē à di-
 lectiōe Christi (propter quam hoc ipsum
 optabat) sed à delitijs paradysi, & à fructiōe
 Christi, excidere, ppter ipsum. Quo quid di-
 ci potuit mirabili? Quia verò hoc omnē ho-
 minū fidē & charitatē etiā superare videba-
 tur, ideo pri⁹ se grauissimi iuramēti religiōe
 constrinxit, vt vera esse quæ diceret iureiu-
 rādo confirmaret. Sed in quod cōmuni ho-
 minū charitati erat impossibile, hoc Aposto-
 licæ charitati erat optabile. Similē charita-
 tis affectū sanctus etiā Moses expressisse vi-
 detur, cū pro adorati vituli piaculo Dñm
 orās

*Chris. sua
 per. 9 ad
 Roma.*

Exo. 32.

Orās, ait, Aut dimitte eis hanc noxā: aut dele me de libro tuo, in quo scripsisti me: qui planè nullus alius erat (quāquā sint qui dissentiat) quā idē ille de quo statim Dñs ait, Qui peccauerit mihi, delebo eū de libro meo. neq; enim peccātes aliūde quā ex libro sempiternę vitę deleri solēt. Idē igitur optat quod Apostolus optauit, simili charitatis ardore succensus. Qui. n. tā mirabili Dei dilectiōe flagrabat, tāto etiā charitatis igne in filiorū Dei amorē rapiebatur, vt nihil malorū aut cruciatuū, vel in hac, vel in futura vita p̄ illorū salute recusaret. Verū de his hactenus.

His igitur ita cōstitutis, facile est ad p̄positā initio quæstionē respōdere. Si. n. tāta perfectæ charitatis virtus est, tātoq; illa studio salutī animarū intēta est, nō ergo mirū, si tāta religiōe dñs iterū atq; iterū hāc vnā exigit virtutē: quæ vel sola vel penè sola, quicquid ad hoc ministeriū requiratur, præstare pōt. Quēadmodū. n. Demosthenes interrogatus quæ esset prima orādī pars, actionē esse dixit: & de secūda rogatus, ac tertiā: eandē rursus et secūdā et tertiā effecōfirmavit: vt per hoc, non alia quidem orationis ornamenta dānaret, sed vt dignitatem huius inter ea designaret: ita planè dñs, non vt alias virtutes excluderet, sed vt charitatis principatū inter cæteras

Concio

cæteras ad regendi officium declararet, hoc schemate orationis vsus est: quæ & plurima ad hoc munus adiuuâta præbet, & omnia quæ requiruntur, miro mō perficit & illustrat. Quamobrē, sicut diuina prouidētia quæ patres voluit diligentissimam educandorum filiorum curam gerere, vehementissimum eorum animis filiorum amorem ingenerauit: quo vno naturæ beneficio, omnia quæ ad ipsorum educationem institutionēq; pertinent, collata illis esse videntur: ita eadem prouidentia (quæ eundem ferè tenorem in operibus gratiæ retinet ac naturæ) cū episcopos Ecclesiæ sponso, & spirituales fideiū patres esse voluisset, eandem sane charitatē quam illic donauit, hic exigit: vt simili cura studioq; vtriq; parentes filiorum suorū educationi se totos addicerent, & consecrarent. Quid autē est quod ad filiorū carnis educationem parentibus non præstet vehemēs ipsorum amor? Quid non facit, quid non dicit, quid non patitur in paruuli educatione sedula & officiosa mater, dum illum lactat, dum blanditur, dum lauat, dum vestit, dum à lachrymis compescit, & ad soporem, aut lusum, hilaritatemq; inuitat? Quoties verò totas noctes in somnes libèter ducit, vt quēuis pueri dolorem leniat, vt vagientem mulceat,

ceat: vt lactet, cæterisq; illius rationibus con-
 sulat: Si deniq; filium materno sanguine ali-
 oporteret, non dubito materna viscera pro
 lacte sanguinè præbitura: quando ipse quoq;
 mutæ & irracionales aues, in naturale pater-
 nę pietatis argumentum, hoc ipsum facere
 perhibentur. Cum ergo multa sint quæ ad
 perpetuam filiorum educationem (quæ to-
 ta penè parētū vita durat) necessaria essent,
 breuissimam ad id amoris viam natura exco-
 gitauit: quo vno præstito, omnia simul præ-
 stitisse videtur. Quam ipsam compendiariã
 viam, & ad animarum salutem proximam,
 gratia secuta est: quippe quę eundem cum
 natura habet auctorē. Si ergo spirituales pa-
 tres simili aut vehementiori etiam amore er-
 ga spirituales filios afficiantur: quis dubitet
 eos simili studio & contentione in ipsorum
 educatione omnem operam esse collocatu-
 ros? Quid enim ad promouendam filiorum
 salutē necessarium negligere poterit. verus
 amor? quem laborem recusets? quid non mo-
 liatur & patiat, si vere amat: vt ab æterna
 morte reuocet quos amat? Si huiusrei gratia
 necesse sit vigilare, si laborare, si opes expen-
 dere, si aduersus huius seculi potentes decer-
 rare, si multorum odia inuidiamq; subire, si
 longa itinera peragrarè, si morti corpus, &

Concio

2. Cor. 11

cætera omnia periculis offerre, si deniq; opus sit omnia illa quæ Apostolus ad Corinthios cõmemorat propter Euangeliũ perperiti, nempe nuditatem, inediã, frigora, ieiunia, flagella, carceres, vincula, et varia terræ marisq; pericula subire, libenter sane totum hoc certamen charitas certabit, ac deniq; in omnes se figuras fundet, atq; omnibus omnia fiet, vt omnes faciat saluos. Hæc. n. est quæ in Apostoli pectore exæstuans, cum ad Galatas dicere cõpellebat: Vellem esse apud

Galat. 4.

vos modo, & cõmutare vocem meam quoniam cõfundor in vobis. Quibus plane verbis acerbissimam anxietatem æstumq; animi sui a charitatis igne prodeuntem, apertissime significauit: a quo vehementer extimulatus, eos protinus adire voluisset, vt eos argueret, moneret, increparet, obsecraret, & nõ solũ varijs fidei argumētis, & verbis, sed etiã gestu ipso, & actiõne corporis in tot se figuras verteret, quot curis agebatur: vt eos rãdẽ ad meliorẽ mētẽ reuocaret. Quid vero,

ab im

hæc oĩa nisi ardẽtes flãmas dixeris, a mensæ charitatis ignibus p̄deũtes? Hoc. n. vel maxime p̄priũ charitatis est, vt qm̄ virtutũ omniũ regina ẽ, eas oēs autoritate imperij sui (quoties opus fuerit) ad operãdũ inducat. Quo fit vt quẽadmodũ cœlestis ille orbis extim⁹ cui

reli-

reliqui oēs subiecti sūt, suo motu atq; impulsu cæteros rapit: ita charitas (quæ virtutum oīum princeps est) vbi in aliquid vehemēter intēta ē, oīa secū virtutū officia trahit. Hinc tā multa a sacris doctōrib⁹, in laudē eius merito cōgerūtur. Ait. n. Aug. Charitas iaduersitatib⁹ tolerat, in p̄speritatib⁹ tēperat, in duris p̄sionib⁹ fortis, in bonis operib⁹ hilaris, in tētatione tutissima, in hospiralitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patiētissima ē. Charitas inter opprobria secura est, inter odia benefica, inter iras placida, inter insidias innocens, in iniquitate gemēs, in veritate respirās, in virtute congratulans. Hactenus ille. Quę tamē latius atq; sublimius persequitur D. Grego. in hunc modū. Cū vna eademq; sit charitas, si mētē plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accēdit. Cui⁹ sentētix rōnē p̄sequitur his verbis. Charitas. n. cogitat vt ea alteri faciat, quę ip̄a sibi fieri ab altero expectat: Pensat ergo vt malis bona, & bonis meliora rependat: vt erga procaces mansuetudinem longanimitatis exhibeat: vt malitiæ peste languētib⁹ gratiā benignitatis impēdat: vt discordes in pace muniat: vt cōcordes ad cōcupiscētiā verę pacis accingat: vt indigētib⁹ necessaria tribuat: vt errantibus viam rectitudinis ostēdat,

Augu. de
lau. sbar.

Grego. in
Mora. li.

10.

Concio

dat, vt afflictoſ verbo & compaſſione mulceat: vt accenſos in huius mūdi deſiderijs, increpatione reſtringat: vt minas potentium ratiocinatione mitiget: vt oppreſſorum anguſtias quanta præualet ope leuet: vt foris reſiſtentibus opponat patiētiā: vt intus ſuperbentibus exhibeat cum patientia diſciplinam: vt erga errata ſubditorum ſic manſuetudo zelum temperet, quatenus à iuſtitię ſtudio nõ eneruet: ſic ad vltionem zelus ferueat, ne tamē pietatis limitem feruendo trāſcēdat: vt ingratos beneficijs ad amorē prouocet: vt gratos quoſq; miniſterijs in amorē feruet: vt proximorum mala cum corrigere non valet, taceat: vt quæ corrigi loquendo poſſunt, ſilentio cōſenſum eſſe pertimeſcat: vt ſic ea quæ tacet toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet: vt ſic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam à iure reſtitutionis excidat: vt cūctā proximis quę præualet impendat, ſed hæc impēdendo non tumeat: vt ſic in bonis quæ exhibet tumoris præcipitium pauēat, ne tamen à boni exercitio torperſcat: vt ſic quæ poſſidet tribuat, quatenus quanta ſit largitas remunerantis attendat: ne cum terrena largitur, ſuā pluſquā neceſſe eſt inopiā pertimeſcat, & in oblatione muneris hilaritatis lumē

lumé tristitia obscuret. Hactenus aurea D. Gregorij verba. Ex quibus merito infert, quod ante diximus, nimirum vnam esse charitatem: quę tamen ipsam quodã modo Dei naturã imitari videatur: qui cū vnus & idē sit, in hac tamen vnitae atq; indiuidua simplicitate, infinitas multiplicesq; virtutes ambit. Quod plane de ipsa charitate non modò D. Greg. sed Apostolus etiam apertè significauit, cum in charitatis encomium totus effusus, ita ait, Charitas patiēs est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quę sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, cõgaudet aut veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Quem locum D. idem Grego. in eodem libro, in huc modum interpretatur. Patiens quippe est charitas, quia illata mala æquanimiter tolerat. Benigna vero est, quia pro malis bona largiter ministrat. Nõ æmulatur, quia per hoc quod in præsentī mundo nil appetit, inuidere terrenis successibus nescit. Non inflatur, quia cum præmium internæ retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exultat. Non agit perperam, quia quo se in solum Dei ac proximi amorem dilatat, quicquid à

.Cor. 13

Grego. in
Mora. li.
10.

Concio

rectitudine discrepat ignorat. Non est ambitiosa, quia qui ardentem intus ad sua fatagit, foris nullatenus aliena concupiscit. Non querit quæ sua sunt, quia cuncta quæ hic transitione possidet, velut aliena negligit: cum nihil sibi esse proprium nisi quod secum permaneat agnoscit. Non irritatur, quia iniurijs lacessita se ad nullos suæ vltionis motus excitat: dum pro magnis laboribus maiora post præmia expectat. Non cogitat malum, quia in amore munditiæ mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinat nescit. Non gaudet super iniquitate, quia quo sola dilectione erga oes inhiat, nec de perditione aduersantiū exultat. Congaudet autem veritati, quia ut se cæteros diligens, per hoc quod rectum in alijs conspicit, quasi de augmento proprii profectus hilarescit. Hactenus ille, non minus certe eleganter quam grauitate. Videtis ergo Patres quam multa præstet vna charitas. Fateor tamen inueniri indoctam charitatem, & sanctam rusticitatem: quæ ab Episcopo longè abesse debet: ut pote qui Ecclesiæ oculus atque magister est. Talis. n. is esse debet, ut de eo merito dici possit, quod olim de Ioanne dictum est, Ille erat lucerna ardēs, & lucēs: quia non

so-

solū ardere per charitatē, sed etiam lucere per doctrinam debet. Est enim (vt D. Bernait) tantum lucere, vanum: tantum ardere, parum: lucere tamen & ardere, perfectum: quod proprie Episcoporum est. Ea tamē perfecta charitatis vis atq; præstantia est, vt nō defuerint olim in Ecclesia clarissimi atq; sanctissimi præfules, qui minus literis valuerūt: quoniam quod sciētiae deerat, charitatis magisterio suppleuerūt. Sic enim D. Martinus clarissimum Pōtificem egit: qui merito præfulem gemma dictus est: quamuis non tam literis quam virtutibus clarus extiterit. Nec minus feliciter Diuus Franciscus munus hoc administrasset, quamuis literarum ope destitutus esset: vt qui mercaturæ magis quam literaturæ in adolescentia operam dedit. Quæ non eo consilio a me dicuntur vt aliquid de scientiæ dignitate, vel necessitate detrahā: quam supra in præcipuis Episcopi virtutibus cōnumeravi (cū præsertim id tam anxie a sacrosancta Tridentina synodo requiri videam) sed vt vel his duobus exemplis euidenter appareat quantum vitæ sanctitas & charitas momenti ad hoc munus allatura sit, quæ penē sola tot olim clarissimos Pontifices Ecclesiæ dedit:

Concio

atq; ita minus mirabile sit vnam hęc virtutē
roties a Domino in Petro ad pascēdas oues
fuisse quęsitam.

II.

*Quātum
Charitas
ad quinq;
precipuas
Episcopi
partes cō-
ducat.*

VERVM vt hoc ipsum eidentius ap-
pareat, breuiter ea quę ad optimum Episco-
pum constituēdum requiri supra diximus,
ad memoriam reuocemus, perpendamusq;
quomodo illa omnia vel præstet charitas,
vel certe adiuuet vehementer, & illustret.
Principio enim, sanctitatē ipsam, quam præ-
ceteris requiri diximus, charitas præstat. Si
enim qui perfectē legem Dei implet sanctus
est, & plenissimē eam implet quisquis perfe-
ctē diligit (cū plenitudo legis sit dilectio)
quisquis ergo in charitate perfectus est, in
sanctitate etiam perfectus est, quemadmodū
paulo ante ex D. Thomę testimonio com-
probauimus. ¶ Ad prudentiam verò, quę se-
cūdo loco exigitur, maximē etiā iuuat eadē
charitas: quę vt auidissimē desiderat finem
(hoc est animarum salutem: quę episcopalis
officij finis est) ita etiam amore extimulāte
acutissimē ea omnia perspicit, per quę in-
optatissimum perueniatur finem. Quid .n.
est vel in rebus humanis, vel in ipsis etiam
artibus, quod non inuenerit, aut excogitaue-
rit amor? Quot enim lucrandi artes immo-
dicus

dicus pecuniarum amor, & sacra auri famemes? quot genera deliciarum gula? quot fraudes ambitio? quot tormentorum armorumq; species dominandi. libido? quot deniq; improbus & inhonestus amor, fallendi, atq; abditissima quæq; claustra irrumpendi artes excogitauit? Hinc Poetæ dicere licuit, largitorem ingenij ventrem esse: hoc est, vêtis vel cupiditatem, vel necessitatem: quæ duo, omnes penè mundi artes adinuenerunt. His enim duobus veluticalcaribus homines incitati, fame videlicet & cupiditate, quid non excogitarunt? quid non periclitati sunt, aut inuenerunt? Est enim vehementissimus quidam aculeus & veluti calcar amor ipse, qui quandiu re amata non potitur, nullo modo conquiescit: sed totus in excogitandis rationibus est, quibus rãdem suis delitijs perfruat. Sic Themistoclem clarissimum Atheniensium ducem, in somnes sæpe noctes ducere solitum ferunt: quòd eum à somno clarissima Melciadis trophæa excitarent: dum ipse qua ratione illius gloriam vel æquare posset, vel superare, tã diligentèr animo versat, quàm ardentèr concupiscit. Deniq; nõ defuerunt etiam inter Philosophos, qui amorem omnium rerum humanarum principium esse definirent: adeò amoris propriũ est

Concio

est multa & excogitare & inuenire. Quod si abiectissimarum rerum amores tantopere ingenium ad abditissima quæq; peruestiganda acuunt, quid diuinarum rerum amor, nõ a corrupta natura, sed a diuina gratia profluens, non excogitabit: vt id tãdem assequatur quod vehemẽter amat? Hinc D. Ambrosius nihil esse vera pietate ingeniosus ait: quæ vt ijs subueniat quos amat, nihil non agit, nihil non inuenit, nihil non molitur. Quid enim est quod pietas charitatis aculeo excitata non deprehendat vt prosit: quando tanta quotidie humana malitia excogitat vt obsit? Commemorare possem hoc in loco quas nõnulli huius ætatis religiosissimi præsules rationes inierint, vel vt inopiæ pauperum subuenirent, vel vt rudiores Ecclesiæ ministros erudirent, vel vt adolescentiores bonis moribus imbuerent, vel vt ignorantem populum per agros & villulas dispersum, publica saltẽ lectione (quãdo prædicationis copia nõ suppetebat) institueret, vel vt fideles ipsos (impetratis ad hoc ab Apostolica sede indulgẽtijs) ad sacramentorũ frequentiam incitarẽt. Quis aut hæc oĩa (quæ vel in desuetudinẽ abierat, vel inuẽta nõdũ erãt) nisi ingeniosa charitas, feruẽsq; salutis animarũ desiderium adinuenit? Ignescat ergo charitas, & rutilas

intelligētię flāma nō deficiet. Nec. n. aut. si-
 ne luce ignis, aut sine itelligētię lumine cha-
 ritas inuenitur. ¶ Nec noua solū prudēter
 excogitare, sed ijs etiā quibus p̄fecta ē, soler-
 ter p̄uidere charitas nouit. Quo. n. quis dili-
 git vehemētius, eo etiā p̄spicit attētius, vt oī
 ratione profitijs quos ardentē diligir. Hinc
 Ber. ait, O bona mater charitas, quę siue fo-
 ueat infirmos, siue exerceat p̄uectos, siue ar-
 guat inquietos, diuersis diuersa exhibēs, sicut
 filios diligit vniuersos: Cū te arguit, mitis ē:
 cū blanditur, simplex ē: pie solet s̄uire, sine
 dolore mulcere: patiēter nouit irasci, humili-
 ter indignari. Sic etiā Aplūs amore salutis
 hoiūm incensus, omniū se se ingenijs mori-
 busq; prudenter accōmodabat: vt charitatis
 vinculis illaqueatos, secū traheret ad salutē.
 Nā cū liber essē (ait) ex omnibus omniū me-
 seruū feci, vt plures lucrifacerē. Et fact⁹ sū lu-
 d̄eis tāquā Iudæus, vt Iudæos lucrarer. Fact⁹
 sum infirmis infirmus: vt infirmos lucriface-
 ré. Omnibus omnia factus sum: vt oēs facerē
 saluos. Vides ergo quam prudēter omnibus
 se ingeniosa charitas accōmodare sciat?

*Bernar⁹
 in Epist.*

Quod si pastoralementem sollicitudinem &
 diligentiam in Episcopo requiras, quid
 magis, aut sollicitum, aut actiuosum, quam
 amor? Nec enim temere Poeta dixit.

Res

Concio

Res est solliciti plena timoris amor. Quia, n. amor cæterarum omnium affectionum radix & origo est, hinc cæteri affectus omnes ab hoc fonte prodeuntes, mensuram eius ita referunt, vt si magnus fuerit amor, magna etiam sit in procuranda re amata sollicitudo: in custodiēda, cura: ī periculo eius, timor: in obsequio, diligentia: in iactura, dolor: & in fructu, lætitia. Cum enim amare aliquid (vt Arist. definiuit) sit ei bene velle: necesse est, vt re quæ diligitur incolumi, sequatur lætitia: amissa vero, tristitia: periclitante autē, timor, & sollicitudo, & sollicitudinis filia diligentia: quæ nulla ratione aut somnum capere finit aut quietem, donec tandem aliqua ratione dilecti periculo succurrat. Affectui enim prædominanti (vt est in proloquijs Philosophorum) omniā famulantur. Nec ea solum pericula verus amor timet, quæ aut proxima, aut vera pericula sunt: sed ea etiam quæ longe distant, aut quæ vix vnquam futura sunt. Hinc D. Bernar. ait. Mēs quam semel affecerit charitas, sui iuris esse nō finitur: metuit quod nescit, dolet quod non oportet, sollicitatur plusquam voluerit, & vnde noluerit. Quomodo ergo qui vere amat inter vera pericula quietus erit, qui periculorum etiā vmbriis sæpius commouetur. Deniq;

sapienter

Berna. in
Epis.

sapienter à Platone dictum est, Amore captus, in proprio corpore mortuus est, viuit in alieno. Hanc enim velut tyrānidem exercet, in eo quē perfectè possidet. Hic est, quod sui prorsus oblitus, alteri seruit, alteri militat, de alterius salute sollicitus est, ac deniq; sibi mortuus, alteri viuit: dū omnes curas & cogitationes suas se neglecto, in alterum transfert: dilectiq; solum commoda cum suis etiā incommodis aucupatur.

Solitudinem fortitudo sequebatur: quæ tum ad ferenda aduersa, tum ad ardua aggredienda, & ad omnes pastoralis officij labores perferendos, animum præstat. Quid vero aliud est quod ad hæc omnia magis animum roboret quam amor? Ex philosophia enim didicimus, inter omnes causas quæ ad agendum aliquid impellunt, primā ac præcipuā esse finem: qui propterea causa causarum dicitur: quia omnes alias mouet, & ad operandum impellit. Mouet vero in primis effectricem, dum cognoscitur & amatur: & quo vehementius amatur, eo etiam vehementius ad agendum impellit: atq; ita pro magnitudine amoris, est etiam fortitudinis magnitudo. Adeo vt frequenter is qui operatur imbecillitatis suæ immemor, non pro facultatis suæ, sed pro amoris magnitudine quæ
supra

Concio

supra se posita sunt amore decipiente aggre-
 ditur. Quid.n.inter animantia omnia gal-
 lina aut meticulosius, aut infirmius e' vt pot
 que nec domestica cōsuetudine, nec quotidi-
 anis beneficijs cicuriri possit. Que tū si filios
 quis inuadat, adeo incandescit & sæuit, vt
 nec homines, nec feras, nec vlla etiā tela pro-
 pter eos reformidet. Quid vero aliud effi-
 cit vt innumeri mortalium tot terra mariq;
 labores perferāt, tantas strages, tā horrēdas
 armorū cōgressiones, sanguinolentaq; bella
 sustineār, nisi vehemēs alicuius dilectę rei a-
 mor? Quid Alexádrū illū Macedonē, quid Iu-
 liū Cæsarē, aliosq; clarissimos imperatores,
 tot subire discrimina, tot adire labores im-
 pulit, nisi insatiabilis regnandi libido? Con-
 tra vero quis Herculem monstrorum orbis
 dominatorem domuit, nisi amor? Aut si hoc
 fabulosum est, quis Sansonem illum, quem
 nec agmina Philistæorum vincere, nec vin-
 cula ligare, nec ferreæ portæ includere po-
 tuerūt: enervare, ligare, atq; hostium suorū
 ludibrium facere potuit, nisi Dalidæ suæ
 amor? Et si a figuris ipsis, ad ea quæ figuris
 expressa sunt gradum facimus, quis fortissi-
 mum illum Rhinocerotem Christum vin-
 culis constrinxit, ad columnam ligauit, in
 Cruce appēdit, tumuloq; cōdidit, nisi amor?

Iud. 16.

Vt

Vt cognoscat (inquit ipse) mundus, quia **10. 14:**
 diligo Patrem, surgite eamus hinc. Quo Do-
 mine? Nimirum ad Crucis supplicium: per
 quod charitas mea erga Patrem hominūq;
 salutem mundo declaranda est. Vides hic
 quanta sit amoris vis: quæ vicit inuinci-
 bilem, ligauit omnipotentem, tumuloq;
 illum inclusit qui omnia continet: vt me-
 rito ingeniosus Poeta dixerit, amore omnia
 superari: & illud item, Improbe amor, quid
 non mortalia pectora cogis? sed hæc im-
 probus, quid vero probus & castus? Nimi-
 rum id quod Diuus Chrisologus ait, Nil
 durum, nil amarum, nil graue, nil letale
 computat amor verus. *Pet. Ra- ue. in ser.*
 Quod ferrum? quæ
 vulnera? quæ pæna? quæ mortes, amorem
 præualent separare perfectum? Amor est
 impenetrabilis lorica, respuit iacula, gla-
 dium excutit, periculis insultat, mortem
 irridet: si amor est, vincit omnia. Nec solum
 vincit, sed quod mirabilius est, certando nõ
 succumbit, pugnando non laborat, nec la-
 borando fatigatur. Hinc D. Augustin. ait. *Augu. 13 Confess.*
 Verus amor non sentit amaritudinem, sed
 dulcedinē: quia soror amoris dulcedo, sicut
 soror odij amaritudo. Et rursū. Qui amat, nõ
 laborat: ois. n. amor nõ amatibus grauis ē. So-
 lus amor ē qui nomē difficultatis erubescit.

Hinc

Concio

*Berna. de
precep. et
dispen.*

*Greg. in
Homili.*

Exod. 28

Hinc D. Ber. ait, Seruite in charitate illa quæ timores expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit: & tamen plus omnibus vrget. Deniq; (vt recte D. Greg. philosophatur) adeo charitatis proprium est libenter propter id quod diligit labores perpeti, vt (quemadmodum de fontibus aquarum dici solet: tantum scaturientes aquas sursum agi posse, quã sublimis sit fons a quo deriuatur) ita plane de amore dici possit, vt quãto quisq; amore sit accesus, tãta sit fortitudine ad ferendos labores instructus. Sic n. ait: Quantũ quisq; proximum amat, tantũ portat: si amas, portas: si desisti amare, desisti portare. Quod si ita est, quid ergo magis ad ferenda pastoralis vitæ onera iuuare poterit, quam vehemens salutis ouium amor? Sicut enim pia mater libenter paruulum gestat in vlnis, quia prius gestauit in visceribus: ita plane spiritualis Ecclesiæ pater prius in corde per charitatem gestare debet, quos per patientiam foris portare tenetur. Quod appositissima olim Dñs figura expressit in lege, quando inter ornamenta Pontificis, rationale & superhumeralis fieri præcepit: quorum alterum pectus, alterum vero Pontificis humeros teget: Vtrũq; vero duodecim filiorum Israel nomina lapillis cõlata ferebat: & anfulis

ansulis quibusdam alterū alteri colligabant: ne videlicet à se inuicem rationale atq; sup humerale separarētur: sed alterum alteri ne ēteretur. Quis quæso diuinæ prouidentię cō filium in huius operis fabrica non miretur? Euidenter. n. hoc cœlesti symbolo admone- re Pōtifices voluit, vt eos omnes, quorum in pectore atq; in humeris cælata gestabant no mina, & in corde per amorem, & in hume- ris per patientiam portare niterentur: quorū tamen alterum ex altero pendet: quia nimi- rū ex eo quòd spirituales filij per amorē ge- stantur in corde, libenter etiam per patientiā gestantur in corpore: quia (vt recte D. Ber- ait) in eo quod amatur, aut nō laboratur, aut ipse etiam labor amatur. Propter hoc ergo rationale & superhumerale inter se mutuo colligantur: quia nec sine patientia charitas, nec vlla sine charitate potest esse patientia. Videtis ergo Patres quantum ad omnes pa- storalis curæ sollicitudines ac labores chari- tas iuuet? Quod tamē adeo late patet, vt me- rito Cicero dixerit, Sine studio & ardore quodam amoris, nihil quicquā in vita fit egregiū.

*Cic. 1. de
Orat.*

Post fortitudinem quinto loco scientiam connumerauimus: sine qua Episcopale mini- steriū veluti mancum & imperfectum esset.

L

Hanc

Cōncio

Hanc fateor solo charitatis studio comparari non posse: quāuis per eam magnopere & illustretur, & perficiatur. Scientia enim sine charitate inflat: charitate verò formata, ædificat. Sicut ergo omnium aliarum virtutum charitas, vita, forma, atque ornamentum est (sine qua ne virtutis quidem perfectæ nomen retinent) ita quoque scientiā sic perficit, vt quæ sine charitate in superbiam sæpe degenerat, per eam plane vir doctus, lux mundi, & Ecclesiæ oculus non immerito dicatur. Sic enim apud Danielem legimus. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamēti: & qui ad iustitiā erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Quantum verò charitas perficiat iuuetque scientiam, aperte docet Aug. his verbis. Diuinarum scripturarum multiplicē abundātiā, latissimamq; doctrinam sine vllō errore comprehendit, & sine vllō labore custodit: cuius cor plenum est charitate. Quo, quid quæso dici potuit magnificentiùs? D. quoq; Basilius, vnaquæq; , inquit, anima, quā lata est in amore pximi, tan alta est in cognitione Dei. Hinc toties in diuinis voluminibus sancti viri sapientiæ nomine maximè cōmendantur. Quid enim aut sublimius, aut mirabilius, quā quòd de se rudis ille pastor è cau-

Dani. 12.

*Augu. de
laude cha-
ritat.*

lis translatus ad regnū, ait: Super oēs docētes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est: super senes intellexi: quia madata tua quęsiui. Quia. n. (vt D. Greg. ait) studuit operādo implere quod didicit, accepit itelligere quod doceret. Nec solū operatio, sed ipsa etiā diuinorū eloquiorū meditatio, aciē mentis acuit & illustrat. Ideoq; ait, Super oēs docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. Hoc est, Nō quia in scholis diu inter pręceptores versat⁹ sum: sed quia in eloquiorū tuorū meditatiōe exercitatus sū, ideo oēs doctores meos longe superauī. Causā vero huius rei D. Chrysost. eleganter exponit his verbis. Videm⁹ (inquit) corporis oculos quū in fumo forte remoratur, lachrymas semper effundere: si vero potiantur aere purgato, & florētibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & saniores esse, multoq; maiore aciē fulgore rutilare. Talis pfecto est & mētis oculus. Si enim in pratis spiritalis pascatur eloquij, erit tot⁹ sine dubio pur⁹, ac lucidus, & acutius cūcta perlustrās: si vero in fumū seculariū negotiorū fuerit ingressus, ad innumera p̄sus mala lachrymabitur. Hacten⁹ ille, Sūt & plura alia scripturarū testimonia, quę idē nobis insinuat. Ait. n. idē Prophe-

*Chry. super
Matth.
lib. Homi
li. 2.*

Concio

Psal. 32.
Psal. 118

tā, Os iusti meditabitur sapiētiā, & lingua ei⁹ loquetur iudiciū. Et iterū, A mādati tuis intellexi: hoc est, īgredi vijs tuis, & mādata exequi sāctissimę legis tuę, intellectu mihi & cognitionem eiusdem legis auxit: quemadmodum quotidianus armorum vsus, & frequēs consuetudo bellandi, rei militaris scientiam parit. Hinc illud Ecclesiastici, Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, plusquam seipsem speculatores sedentes in excelso ad speculandum. Vides ergo quam multis scripturarum testimonijs sancti viri sapientię nomine cōmendantur?

Eccles. 37

Inquisitione autem dignissimum est, quæ ratione vitę sanctitas, ac præcipue charitas, sapientiam augeat: cum præsertim sapientia sit in intellectu, charitas vero in voluntate. Multæ sanè & non vulgares huius rei causę mihi esse videntur: quas hoc in loco paucis attingere libet. Ac in primis illa, quod (vt D. Greg. ait) amor, cognitio quædam est: vnde necesse est amorem Dei quandam esse cognitionem Dei: rectissimeq; Platonem dixisse arbitror, amare Deū, esse philosophari: hoc est, Theologiæ ac diuinæ cognitioni vacare.

S. Tho.
Opus. de
Amore
Dei.

Cuius modi autem sit hæc cognitio, exponit D. Tho. qui tribus modis a nobis aliquid cognosci posse, ait: nempe, auditu, aut visu, aut
etiam

etiã gustu: si eiusmodi res sit, quæ gustu percipi possit. Vinum enim & auditu discimus alicubi esse pretiosũ: & visu, cum eius colorẽ cernimus: & gustu, cũ illũ bibimus. Inter quę cognoscendi genera, postremum hoc efficacius & certius est. Quo quidem modo Deũ agnoscit, quisquis illum vehementer amat: neq; enim ita amare posset, nisi eius bonitatem, suauitatem; benignitatem, & charitatẽ amãdo gustaret: quę cognitio, mystica Theologia esse dicitur: in qua non intellectus affectum, sed affectus erudit intellectum: dũ gustando Dei admirabilem suauitatem, plane intelligit quã dulcis, quã suavis, & quã amabilis sit. Quod si ita est, rectissime sane *Psal. 33.* Plato sensit, cum amare Deum, philosophari esse dixit, & ipsum agnoscere. Quod regius Propheta significauit cum dixit, Gustate & videte, quã suavis est Dominus. Prius enim Dominum amando gustamus, deinde gustu ipso, quãta sit eius bonitas ac suauitas edocemur. Vnde fit, nõ temere à nobis dictũ esse, sciẽtiã quoq; ipsã ac Theologiã augeri & perfici charitate. ¶ Adde etiã, quòd cùm amorẽ præcedat amatẽ rei aliqua cognitio: & cognitionis mensurã amor respõdeat, necesse est vt qui multum amat Deũ, magna etiã cognitione Dei præditus sit: quem vtique non ve-

vehementer amaret, nisi vehementer amabile
 prius esse experiēdo cognosceret. Quo fit vt
 secundum D. Tho. sententiā, crescente in
 electis habitu charitatis, crescat pariter &
 donum intellectus: cuius beneficio tā ama-
 bilem intelligat esse Dominum, quā vera &
 sincera charitate illū amat. ¶ Ad hæc, præ-
 cipua veræ amicitiae lex est, mutua secreto-
 rum cōmunio. Vnde consequi videtur, vt
 quem Deus charissimū habeat, eum etiam
 secretorum suorum participē faciat: sicut ipse
 discipulis testatur dicēs, iam non dicam vos
 seruos: quia seruus nescit quid faciat Domi-
 nus eius. Vos autē dixi amicos: quia omnia
 quæ audiui à patre meo, nota feci vobis.
 Hinc D. Aug. ait, Si voluntatē Dei quisque
 nosse desiderat, fiat amicus Deo. Quia si vo-
 luntatem hominis nosse quisque vellet, cu-
 ius amicus non esset, omnes eius impuden-
 tiam deriderēt: Nemo autē efficitur amicus
 Dei, nisi purgatissimis moribus. Hinc etiam
 in Psalmo, pro eo quod nos legimus, Firma-
 mentū est Dñs timentibus eū, D. Hiero. ex
 Hæbreo vertit, Secretū Dñi timētibz eum:
 & testamētū ipsius vt manifestetur illis. Ma-
 nifestatio autē testamenti Dei, vera atque so-
 lida sapientia est: quæ puris mētibus spiritu
 vngente atque docente donatur. ¶ Cum
 nulla præterea re magis quā charitatē Deo

Ioan. 15.

*Aug. cō-
tra Mas-
nich li. 1.*

Psal. 24.

inheramus, Deus aut (vt Ioanes ait) sit lux; in quo nullæ sunt tenebræ: quō quis ad lucē hanc poterit appropinquare, qui non excel-
lenti quadam ac noua luce illustratus, diui-
nas res videat & intelligat? Nō enim frustra
Psalmodographus ait, Accedite ad eū, & illumi-
namini. In cuius rei typum, faciem Mosis, ex
confortio sermonis Domini, cælesti lumine
radiatē legimus: vt ipso opere intelligeremus,
qua lucē facies animę perfundatur interius,
quæ ad Deum accedit, & illo familiariter uti-
tur. ¶ Adde etiam, quòd in purgato igne cha-
rity affectu, necesse est purgari etiam in-
tellectum: cuius pleriq; tenebræ, & turbulē-
ti errores ex affectuū impuritate, corruptis
moribus, deprauataq; voluntate ferme oriū-
tur: quæ vbi ad malū propensa est, suo etiam
pondere arque impetu intellectū ad omne
impuritatis genus trahit, sibiq; obsequentē
facit. Quo fit vt purgato affectu, purgator
quoq; sanior, & perspicacior reddatur intel-
lectus: secundū illā Prophetę vocē, Intelle-
ctus bonus omnib⁹ faciētibus eū: hoc est, ca-
sto & puro affectu colētibus Deū. Hinc de
spiritu sapiētiæ dicitur, quòd subtilis sit, &
atingat vbique propter suam munditiem.
Quæ mundities, non à sordibus corporis,
sed ab impuritatibus affectuum intelligēda

I Ioan. I.

Psal. 33.

Psal. 110

Sap. 7.

Concio

est: à quibus anima purgata & libera, subtilius omnia penetrat: quia neque passionum nebulis obscuratur, neq; terrenis affectibus ad externa retrahitur, neq; à superiorum cōtemplatione impeditur: ideoq; attingere dicitur & penetrare omnia propter suam munditiem. Vt taceam interim quòd anima purgata, & ad solem iustitiæ per charitatem expansa, radios eius velut in speculo purissimo recipiēs, magis ac magis illustratur. & irradiatur. ¶ Denique inter septem præcipua Spiritus sancti dona, quatuor ad illustrandū intellectum pertinēt: nempe donū consilij, scientiæ, sapientiæ, & intellectus: quibus priorum intellectus diuinitus illustratus, illam acquirit scientiam, de qua scriptum est, Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: quæ scientia eo omnibus alijs præstantior est, quo & doctor eius sublimior, & finis nobilior est. ¶ Postremo sicut sine cognito, facile est media ex fine colligere: sine autem (ceu termino viæ) igno-
ro, nihil prudenter excogitari potest: sed in medijs tenebris erroribusque ignarus homo versabitur: ita cum vir sanctus perfectissimè teneat finem (non enim speculatiua tantū scientia, sed etiam practica, intelligit Deum esse

esse finem illum, ad quem omnia referenda sunt) recte sane ac sapienter gressus suos dirigit: quod ab impijs longe alienum est: qui tantum à vero fine, quantum à Dei amore distant: ideòque in summa caligine & cæcitate voluntatur. Quod animaduertēs sanctus ille Iob, ubi multa in laudem sapientiæ prædicasset, & locum eius diligenter inquisisset, in fine tandē huius inquisitionis, paucis hæc quæstionem absoluit dicēs, Ecce timor Dñi ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. ¶ Habetis hic Patres quantum perfecta charitas & vitæ puritas veram adiuuet sapientiam (quã sanctorum esse scientiã diximus) præter quã, non abnuo aliam esse scientiam humano studio & ingenio partã: quæ Episcopis quoq; (vt sæpe iam diximus) maximè necessaria est: quæ tñ huius ipsius diuinæ sapientiæ & charitatis splendoribus miro modo perficitur, ornatur, & illustratur: quorū luce destituta, ieiuna, sterilis, obscura, & periculosa est: quoniam inflare solet. Nihil enim magis veræ sapientiæ, quam tumor superbiæ aduersatur. Ait enim Solomō, Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: vbi autē humilitas, ibi & sapientia. Hinc D. Aug. Tumore, inquit, meo separabar abs te: & nimis inflata facies claudebat oculos meos.

Iob. 28.

Prou. 11.

Augu. in
lib. Cōfes.

Concio

meos. Cicero item, scientiam quæ à iustitia remota sit, non scientiam, sed calliditatem potius appellandam esse censuit.

II.

*Charitas
valet ad
cætera Es
piscoporū
officia.*

QVOD si quis scire velit quantū etiam ad alia Episcoporū officia (quæ ex his fontibus oriri supra memorauim⁹) charitas ipsa conducat, facile erit hoc animaduvertere, si quis diligenter ea omnia cum ipsa charitate conferat. Quam rem dum paucis attingo, quæso P. A. diligenter attendite. Principio enim exempla rectè viuendi (quæ inter præcipua boni pastoris officia numerauimus) quis meli⁹ proferet, quā is qui per charitatē legem Dei implet, & rectè viuit? Quæadmodum enim corporis bonā valetudo in vultu ipso externaq; specie apparere solet: quæ sanguinis cæterorūq; humorum equabilitatem temperamentūq; declarat: ita perfectā charitates sanctitasq; in animo residens, non modo per opera externa, sed per ipsam quoq; speciem vultus emicat: qui omnes ad amorem & venerationē sui trahit. Propter quod etiā Solomon in facie prudentis lucere dixit sapientiam. Hoc nobis aperte Eusebius Emis. explicat, qui inter cætera virtutū insignia, hoc ipsum de beato Maximo Episcopo testatur his verbis. Eminebat (vt sic dixerim) in

Prou. 17.

*Euseb. Emis. in
Serm.*

in ipso habitu animi fortitudo, in specie exteriori ipsam putares expressam imaginem sanctitatis: terribilis incessu, reuerendus aspectu. Crederes quod semper inuisibile illum hostem ipsa vulnus sui virtute terreret. Metuendus seueritate, benignitate venerandus, auctoritatis censuram, humilitatis mansuetudine temperabat. Minabatur quidem frontis austeritas, sed cordis serenitas blandiebatur. Ac sic conueniente in vno diuersitate gratiarum, Paulus apparebat in vultu, Petrus in spiritu. Illius distinctionis, huius erat pietatis æmulator: ita vt cum presentiam eius vix sustineres, absentiam ferre non posses. Hactenus ille. Ex quo facile percipitur verum esse quod Solomō dixit, in facie sapientis ipsam lucere sapientiam. Contra vero, speciem, & exemplar sanctitatis præstare velle, nec sanctum esse, id plane non est exemplo edificare, sed furore & mendacio aspicientium oculos fallere, & pharisæorum hypocrisim imitari. ¶ Iustitiam vero, hoc est æquitatem in iudicijs, & in ministeriorum Ecclesiasticorum distributione (quæ in Ecclesiæ foro frequētissima, & maxime necessaria est) quis magis illibaram integramque seruabit, & a potentium, corruptorumque muneribus, importunitatibus, fraudibusque defœdet: quam perfecta

charitas

Concio

charitas & integritas: quæ vni Deo super omnia placere cupiens, non modo certare, sed etiam mori parata est pro iustitia? Sic. n. de ea venerabilis Beda ait. Verus amor veritatem amat, in veritate iudicat, pro veritate certat, & cum veritate opera consummat. Illa enim charitas quæ aduersus omnes mundi monarchas, machinasque tormentorum illæsam potuit fidem Christi seruare: eadē quoque poterit iustitiam & æquitatem aduersus tā multiplices eius impugnatores in uiolatam puramque custodire. ¶ Misericordiam verò erga inopes, pupillos, ac viduas (quæ Episcopis tam familiaris esse debet) quid magis præstare poterit, quàm ipsa misericordiæ omniumque virtutū parēs charitas: quæ (quoniã otiosa esse non potest) in quo magis neruos suos omnes intēdet, quam in subleuandis eorum miserijs, quos tanquam amantissimos filios sincero charitatis sinu complectitur? Alioqui si vidēs fratrem suū necessitatem pati, clauseric viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Minus enim proximum (vt Greg. ait) amare conuincitur, qui non cum eo in necessitatibus eius, ea etiam quæ sibi sunt necessaria, partitur. ¶ Labores vero visitandi, inquirendi, prouidendi, & per varia oppida atque ca-
stella

*Beda su-
per Luc.*

*Grego. in
bomil.*

stella discurrendi (in quibus æstus, soles, fri-
 gora, multarumq; rerum penuriam, & incō-
 moda sæpe ferenda sunt) quis libentius su-
 bire volet ac perpeti, quã is qui charitatis ar-
 dore succensus, nullum propter oves (quas
 vita ipsa chariores habet) laborem recu-
 fabit? Si enim terrenarum rerum amatores
 (vt Arist. ait) facile aggrediuntur terribilia
 concupiscentiæ causa: quid nõ perfecta cha-
 ritas propter gloriam Christi aggredietur?
 Dictum autem à nobis paulo superius est,
 amare, nihil aliud esse quã bene velle: bene
 autem velle consequitur omni beneficiarũ
 genere eos prosequi, quibus bene velis. Cũ
 vero nullis Deum quẽ diligimus beneficijs
 afficere valeamus, (qui plane bonorum no-
 strorum non eget) quid superest, nisi quod à
 propheta dictũ est, Sanctis qui in terra sunt *Psal. 15.*
 eius, mirificauit oēs voluntates meas in eis?
 Hoc est, quoniam tu es Deus meus in quo
 spes omnes opesq; vitæ meæ sitæ sunt: quẽ
 toto cordẽ diligere, & cui ex animo bene
 velle debeo: eaq; sis felicitate & opulentia,
 vt bonorum meorũ non egeas: quid mihi re-
 liquũ est, nisi vt omne meũ hoc studiũ, pro-
 pensionẽq; voluntatis, egregijs beneficijs
 in omnes sanctos qui in Ecclesia tua sunt,
 declarem? illos videlicet iuuãdo, visitando,
 monen-

monēdo, paterna charitate corripiendo; o-
mniq; ratione illorū salutē promouēdo: cer-
tus plane, quòd hæc omnia pietatis obsequia
quæ in illos conféro, in te cōmunē omnium
Dominum atque parentem conféro.

Iani vero, si ad Episcopū (vt ante dixi-
mus) maxime pertinet idoneos vndecūque
concionatores, & Ecclesiæ præfectos, ac mi-
nistros asciscere: quorū opera & iustitiā ad-
ministrare, & verbi Dei pabulo oues alere,
& prouinciam suam visitare cōmode possit
(quos interim suis expensis, quando Eccle-
siasticæ non suppetunt; debeat sustentare):
quis hoc quæso cumulatius præstabit, quàm
qui se suisq; omnibus neglectis, nihil magis
quàm Dei gloriā, animarū salutem, & Ec-
clesiæ decorē ac synceritatē querit? Quomo-
do in hac causa sumptibus parcat, qui ne vi-
tæ quidē suæ parcat? Quomodo pro ouibus
suis profundere negliget substantiam suam:
quibus libenter paratus est impendere ani-
mam suam? Quomodo parcus ille ac tenax
erit, quem iustitia facit æquitatis amātem:
misericordia, largum: charitas, feruentem:
zelus animarum, sollicitum: & frugalitas sibi
parcum, & in alios profusum ac liberalē?

Orādi vero munus (quod Episcopo qua-
ten? sacerdos est, maxime cōuenire dixim?)

quis

quis aut melius, aut frequentius, aut efficacius prestare poterit, quã verus Dei amicus, cuius tota penè vita oratio est? Id quod cæcus ille natus apud Ioannẽ aperte indicauit. *Ioa. 9.* dicẽs, Scimus quia peccatores non exaudit Deus: sed si quis cultor eius est, & voluntatẽ eius facit, hũc exaudit. Quo. n. quisq; Deo gratior, eo & oratio eius efficacior, & potentior est. Scriptũ est. n. Oculi Dñi sup iustos, & aures eius in preces eorũ. Et rursus. *Lõ. Psal. 33. Frou. 15* ge est Dñs ab impijs, & vota iustorũ exaudit. Cõtra verò, de impiorũ oratiõẽ scriptũ est, Qui obturat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Hinc est quòd amicis Iob veniã Dñs impartiri volẽs, quoniã propter insolentiã suã indigni erãt qui exaudirẽtur, ad ipsum Iob ab eodẽ Dño remittuntur: vt illius oratione temeritatis suæ veniã impetrarẽt. Sic. n. ait, Iob aut. seru⁹ meus orabit, p vobis. Faciẽ eius suscipiã, vt nõ vobis imputeretur stultitia. Quantũ verò ad publicã salutẽ piorũ oratiões cõducãt, vix verbis explicari queat. Cur. n. Helias, cur Helisæus toties in diuinis voluminibus currus Israël, & auriga eius, vel (vt alius vertit interpretes) equites eius, appellãtur: nisi quia orationis suæ virtute instar curruum & equitũ erãt: quibus populus ille à Deo, pregabatur?

Conció

tur? Cōtra verò, cū eundem Dñs populūm
 propter neglectam religionem & virtutē de-
 moliri vellet, orationis ab eo præsidium su-
 stulit. Sic enim ad Hieremiam ait. Tu vero
Hier. II. noli orare pro populo isto, neq; assumas lau-
 dem & orationē pro eis: nec obsistas mihi.
 Vides quantum possit oratio viri iusti: quā
 idem ipse Dominus ad diuinam vim cohi-
 bendā, & irā eius placandā, adeo potentē
 esse pronūtiat? Prouidisse autem hac ratio-
 ne videtur, ne veluti dedecore quodā ipsā
 afficeret orationem: si ad eum fusa, vacua re-
 uerteretur: ideoq; Prophetam præmonuit,
 ne pro impijs orationem funderet. Quid ve-
 ro Esaias Propheta? Nōne ipse quoq; curr⁹
 erat Israel, & equites eius: quando potētissi-
 mi hostis Senacherib Hieresolimā vastare
 moliētis, oratione sua impetū fregit, & exer-
 citū deleuit, ac profligauit? Deniq; Helias
Iacob. 5. (inquit Iacobus) homo erat similis nobis:
 passibilis: & oratione orauit, vt non plueret
 super terram, & non pluit super eam annos
 tres, & menses sex: & rursus orauit: & cœ-
 lum dedit pluuiam: & terra dedit fructum
 suū. Quid quæso vel ad laudem diuinæ bo-
 nitatis magnificentius? vel ad bonorum glo-
 riam sublimius? vel ad orationis laudem di-
 ci poterat mirabilius? quā vt per eam cœli,

terræ, maris, ventorum, nubium, atque im-
brium, mortalis homo teneat imperium? Si
vero tantum ad cōmunem hominū vel per-
niciem, vel salutem, non quidem impiorum
execrabilis, sed piorū tot nominibus oratio
cōmendabilis valet: quanta laus eius erit,
qui Ecclesiæ, qui cōmunis salutis, qui fidei
& religionis publicam curam gerit, amicum
esse Dei, & charitatis ac orationis virtutē po-
tentem: per quam salutem publicam tueri,
& à sempiterno generis humani hoste defē-
dere possit?

Ultimo vero loco parsimoniam frugalita-
temq; inter præcipua pastoris ornamenta
posuimus: quæ dum sibi suiq; moderata
est, materiā pietati & misericordiæ opibus
suis quā latissime præstat. Hanc vero virtu-
tem (sine qua nudus pene, & velut inermis
erit Episcopus) quis ita colet, atq; is qui per
fectæ charitatis beneficio, virtutibus cūctis
ornatus, terrena omnia ducit vt stercora,
propter sola cœlestia diuinaq; bona: ad quæ
omni animi contentione aspirat? Qui enim
veris virtutum insignibus illustris & cla-
rus est, cur falsos honorū titulos, & velut
vmbra quasdam gloriæ cōsectetur? Sicut. n.
fallacē & fucatam pulchritudinē deformis
facies querit: quam formosa recusat: & ful-

era pedibus subijcit, vt procerior appareat; qui statura pusillus est: ita qui virtutibus suis claritatē & gloriam nō merentur, aliunde peregrinas glorias aucupantur, vt videlicet circumfusa clientium turba, & pretiosis vestibus atque opibus, magnificitq; simbrijs honorabiles appareant, qui per se despicabiles & obscuri essent. Quæ omnia vera & perfecta virtus adeo nō querit, vt etiā vehemēter detestetur, ac fugiat. Quid n. circūpositis facibus sol indigeat, qui suo ipse splendore conspicu⁹ est? ¶ Præterea si Apostoli, si Prophetæ, si oēs deniq; sancti, ac ipse etiā sanctorū dñs, adeo parsimoniam, sobrietatem, asperitatem vitæ, voluntariāq; paupertatem coluerūt: & hanc viuendi rationē nobis adeo comēdauerūt: quid quæso faciet vir sanctus & verus Dei amicus: qui quò sanctior est, eò se magis ad apostolicam & euangelicam vitam effingendam aptat atq; componit? Quando vero pro conditione temporum & ministerij sui ratione, splendide aliquid gerendum est, non sui rationem habet, sed Ecclesiæ, non sui honoris, sed animarū salutis: nō sibi placet, sed ouibus, puidet: nō oculis hominū, sed officio deseruit: & ita splendoris insignia conuertitur, vt illa sancta femina Hester, quæ cū regiā dignitatē in opulētissimo regno obtineret,

neret, cultuq; regio & apparatus ornari debe-
ret, sic corp^o ornabatur auro, ut ciliciū gestare
videretur in pectore: Quod ipsa in oratione
sua Domino cōfiterur dicēs, Tu scis necessi- *Hest. 14*
tate meam: quod abominer signū superbiæ
gloriæ meæ, quod est super caput meum in
diebus ostentationis meæ: & detester illud
quasi pannū menstruata: & non portem in
diebus silentij mei. Si ergo tanta animi puri-
tate ac sinceritate in summis delitijs consti-
tuta puella, seculo seruirebat: quid faciet euā-
gelicæ atq; apostolicæ philosophiæ profes-
sor Episcopus?

III. v. 10. Q. 1. ubi dicitur: Quātum
charitas
EX HIS ergo quæ hactenus à me dicta *charitas*
sunt, facile quisque intelliget, quid charitas *& inte-*
& integritas vitæ ad omnia Episcopi officia *gritas vis*
conferat. Superest vnum docendi atq; con- *te ad mu-*
tionandi munus: quod ego dedira *nus præ-*
hircusq; distuli, quoniam summum ac præ- *dicandi*
cipuum Episcoporum officium hoc esse su- *ferat.*

præ ex Tridentini Concilij autoritate desi-
nui. Si enim ad hoc ipsum, in suo quisque
ordine, fideles omnes certa quadam ratio-
ne, hoc est, non ex debito officij, & publicæ
autoritate, sed priuata charitate, tenen-
tur: quid de Episcopo cēsendū est, qui iuxta
sui nominis rationē, i specula Ecclesiæ cōsti-

tutus, aliorum pericula & prospicere, & annuntiare debet. Pertinere autem ad omnes suo modo munus hoc, indicat plane D. August. his verbis. Hæc est lex diuinæ prohibitæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendam gratiam Dei, qui non ad eadem puro affectu inferiores adiuuet. Hinc etiam D. Grego. ait. Miles Dei supernæ gratiæ nixus auxilio, sic vulnera infirmitatis suæ curet, vt aliena non deserat. Hinc etiam legimus in Apocalyp. Spiritus & sponsa dicunt, veni: & qui audit, dicat, Veni: Quia. n. cuiq; mandauit Deus de proximo suo: ideo qui se gaudet à Deo vocatum, & misericordiam consecutum, alios quoq; eiusdem misericordiæ participes facere festinet: & quod ipse à Domino munus accepit, in alios trāferre procuret. In cuius rei typum defuncti fratris semē in lege suscitare iubemur: quod planè spiritualiter, exequi videtur; quisquis nouam Christo prole (qui cōmunis omnium nostrum emortuus frater est) verbo aut exemplo suscitare conatur. Et si ad omnes Christi fideles cura hæc p̄ cuiusq; ratione pertinet: quid is faciet, cuius fidei animarum cura ea lege credita est, vt earum sanguis ab eo sit requirēdus? & quidquid è grege perierit, eius periculo pereat. Sic enim D. Gregorius ait,

Augu. de
vera res
lig.

Greg. in
Moral.

Apoc. 22

Deut. 25

Quo reatu astringantur aspiciant, qui dum peccatibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus animabus vitæ remedia abscondunt. ¶ Nec solum commissi muneris data & accepta fides, sed publica etiam Ecclesiæ stipendia, eos ita ad officium hoc impellunt, vt nefas sit ei denegare officium, à quo tam amplū acceperis stipendiū. A quo atrocissimo scelere quā longissimè se abfuisse sanctissimus Iob testatur, cū ait, Si comedi fructus absque pecunia, & animas agricolarum affixi. Quem locum D. Gregorius in hunc modum interpretatur. Fructus terræ absq; pecunia comedere, est, ex Ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidē Ecclesiæ prædicationis pretium non præbere. Terræ igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesiæ commoda ad vsum corporis percipit, sed exhortationis ministeriū non impendit. Quid ad hoc nos pastores dicimus? qui aduentum districti iudicis præcurrentes, officium quidem præconis accepimus: sed alimenta ecclesiastica muri manducamus? Hactenus ille.

Cū igitur ex ijs quæ nunc à me & fusius paulo ante disputata sunt, aperte cōstet præcipuum pastoris Ecclesiastici munus esse, oves Christi scientia pascere atque cœlesti

*Grego. in
Pastor.*

Iob. 31.

*Grego. in
Moral.*

doctrina instituere, dubitabit fortasse aliquis quid tanto huic muneri rudis charitas, & indocta sanctitas præstare possit? Dicendi. n. vis atq; facultas, natura, arte, exercitatione, atque imitatione comparari, testes sunt quicumq; de dicendi ratione scripserunt. Vbi igitur ista defuerint, quid nuda per se charitas præstare queat? Fateor quidem omnia hæc ad bene dicendum esse necessaria: quæ quidē sine acerrimo studio, diuturna exercitatione, multa que cōmentatione comparari nequeunt. At cum dicendi ratio nō minus diuinæ prouidētix atq; voluntati quā ceteræ res humanæ subsit, inficiari nequeo, multos illam à Deo nullis humanis studijs, sed frequentissimis, feruentissimisque deprecationibus impetrasse. Sic enim in Ecclesiastico legimus. Iustus cor suū tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, &c. Verum quia perpauci sunt, quibus talia à Deo dona contingant, plurimū studij, laboris, & diligentix is adhibeat opus est, qui dicendi peritus euadere optat. Ad quæ tamen omnia incredibile dictu est, quanto pe-

re chari-

Ecclesiastica.
iii. 39.

re charitas ipsa, & charitatis indiuidua comes, vitę integritas, conferat. Multa (fateor) Patres ampl. hac de re legi, multa vidi, multaq; dicendo obseruauit: tam diuturna enim concionandi consuetudo: in qua ætatē fere omnē cōsumpsi: multa me vsu ipso docuit: qui optimus dicendi magister esse solet. Sed si ea omnia vnum in locum cogantur: & ex altera parte flagrantissima quedam charitas, sitisq; animarum ardentissima proponatur: certe hæc vna virtus omnia rhetorum præcepta longe superabit, quæ sine hoc spiritu atq; ardore, futata, frigida, exanguia, & prorsus infirma sunt: quæq; magis orationis lenocinio aures mulceant, quam dicendi acrimonia animum concutiant, & à veteris vitę prauitate conuellant. Quod ita esse nō paucis, neq; contēnendis rationibus cōprobabo.

Principio quidem certū est (vel ipso Augustino restante) tria esse præcipua concionatoris officia: nempe vt doceat, vt delectet, vt flectat. Et docere quidē, necessitatis esse: delectare, suauitatis: flectere, victorię. Docemus autē pbationibus, delectam⁹ eloquutione, flectimus vero affectib⁹ cōcitatis: quæ à sedibus suis eripiūt aīos, & in quęcūq; volueris habitū trāsformāt. Qñta vero sit extreme hui⁹ partīs necessitas atq; præstātia, l'abi⁹

Quintil.
lib. 6.

ipse Quintilia. rhetorū magister indicat his
 verbis. Probationes (inquit) efficiunt sanè
 vt causam nostram meliorem esse iudices
 putent: affectus præstant, vt etiã velint. Sed
 id quia volunt, credunt quoque: Nam cum
 irasci, fauere, odisse, misereri cœperint: agi-
 iam rem suam existimant: & sicut amantes
 de forma iudicare nō possunt (quia sensum
 oculorum præmit amor) ita omnem inqui-
 rendæ veritatis rationem iudex amittit, oc-
 cupatus affectibus: æstu fertur, & velut ra-
 pido flumini obsequitur. An cum ille (qui
 plerisque perorationibus petitur) fletus erū-
 pit, non palàm dicta sententia est? Huc igi-
 incūbat orator, hoc opuseius, hic labor est:
 sine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, ingra-
 ta sunt. adeo velut spiritus operis huius at-
 que animus est in affectibus. Hactenus Fa-
 bius. ¶ Cæterum qua ratione affectus isti
 concitandi sint, idem ipse dicendi artifex
 paulo post indicat his verbis. Sūma (quan-
 tum ego quidē sentio) circa mouendos af-
 fectus in hoc posita est, vt moueamur ipsi.
 Nam & luctus, & iræ, & indignationis, ali-
 quādo ridicula fuerit imitatio, si verba vul-
 tumq; tātum, non etiam animum accomo-
 dauimus. Quid enim aliud est causæ, vt
 lugentes vtique in recenti dolore disertissi-
 mē

Quintil.
lib. 6.

mè quædam exclamare videantur, & ira nõ
 nunquam indoctis quoq; eloquentiam fa-
 ciat, quam quod illis inest vis mentis, & ve-
 ritas ipsa morum? Quare in ijs quæ verifi-
 milia esse volumus, simus ipsi similes eorum
 qui vere patiuntur affectibus: & à tali animo
 proficiscatur oratio, qualem facere iudicem
 volet. An ille dolebit, qui audiet me, cū hoc
 dicam, non dolētem? Irascetur? si nihil ipse
 qui in iram concitat, idque exigit, simile pa-
 tietur? Siccis agēti oculis, lachrymas dabit?
 Fieri non potest. Nec incēdit nisi ignis, nec
 madescimus nisi humore: nec res vlla dat al-
 teri colorem, quem ipsa non habet. Primum
 est igitur, vt apud nos valeant ea quæ vale-
 re apud iudicem volumus: afficiamurq; ante
 quam afficere conemur. Hactenus Fabius.
 Nec Fabius tantum, sed etiam ipse eloquē-
 tiæ parens Cicero, idem prorsus edocet his
 verbis. Vt nulla materies tam facilis ad exar-
 descendum est, quæ nisi admoto igne ignē
 concipere possit: sic nulla mens est tam ad
 comprehendēdam vim oratoris parata, quæ
 possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam
 & ardens accesserit. Hæc igitur illi. Quorum
 testimonijs nihil in hac parte afferri poterat
 certius & locupletius. Quibus plane D. Gre-
 gorius eisdem fere verbis astipulatur dicēs,

*Cice. 2. de
 Orator.*

*Grego.
 Moral. 8*

Ad

Ad supernum desiderium inflāmare audito-
 res nequeūt, verba quæ frigido pectore pro-
 feruntur: nec enim res quæ in se ipsa non
 ardet, aliud accendit. Quod si ita est, quid
 quæso ad inflāmandos & concitandos audi-
 torum animos perfectā charitate potentius?
 Charitas enim ignis est, nō à sylice excussus,
 sed è cœlo delapsus: qui adeo ardentem ani-
 marum salutē sitire facit, vt dicentis ac sua-
 dentis animum miro modo cōmoueat; lin-
 guam erudiat, actionem inflāmet, affectus
 concitet, figuras, verba, vultū, acrimoniāq;
 ministret: in omnesq; sese figuras (velut Pro-
 theus quidam) vertat: vt dicendo à morte
 reuocet, quos in via perditionis positos, do-
 let: vsq; adeo affectus hic cœlestis ingeniosus
 & acer est. Si enim (vt ante diximus) affectus
 omnes atq; propensiōes animi ex amore ita
 oriuntur, vt quo maior fuerit amor, eo sit af-
 fectus omnis vehementior: quales ergo ardē-
 tissimæ charitatis, nisi vehementissimi affe-
 ctus erunt? Qui vero ita affectus dicit, quo-
 modo nō eundem quem habet animum in
 alios trāsferet? quomodo ignis hic in pecto-
 re exāstūas non per os, vultum, linguā, ge-
 stumq; corporis velut fulgur erumpet? Si. n.
 ignis in nube inclusus & præssus violen-
 ter, tandē cum tōnitru emicat, fulgurat; &
 horrēda

horrenda fulmina iaculatur: quid mirum si
 cœlestis hic ignis in pectore clausus, verbo-
 rû emittat fulmina, ac tonitrua: quibus osci-
 rantes hominum mentes excitet, ac perter-
 refaciat? Hac ergo ratione miro modo cha-
 ritas vim dicendi præstat. Ad cuius rei fidẽ
 non graubor hic adiungere celeberrimi cu-
 iusdam concionatoris sententiã: qui rogatus
 ab alio quẽnam essent præcipuæ conciona-
 toris partes, duæ (inquit) mihi esse viden-
 tur. Altera vt diuinis literis apprimè sit erudi-
 tus: altera vt ardentiissimo amore Deũ dili-
 gat. Quorum alterũ quidem ad res inueniẽ-
 das, alterum vero ad rationem modumq; di-
 cendi maximè iuuat. Qui enim ardentiissi-
 mo amore Deum diligit, cũ de peccatis agẽ-
 dum erit, vehementissimè in ea inuehetur:
 tanquam in acerrimos illius hostes, quẽ tã-
 topere diligit. Si vero de his quẽ ad eius glo-
 riam pertinent, agatur, simili orationis im-
 petu concitabitur: cum de ijs agat quæ ad il-
 lum pertinent, cuius tanto amore tenetur.
 Præclare ille sane. Hac. n. ratiõe fiet: vt bona
 bene dicãtur: bene aut fere dicũtur, quæ nõ
 solute, nõ leniter, atq; oscitãter, sed vehemẽ-
 ti cũ cõtetiõe animi, ingenij, viriũq; dicũtur.
 Nec vñ dicẽdi mō, sed rerũ etiã q̄ dicãt co-
 piã, præbet ip̄a charitatis exercitatio. Ad cha-
 ritatem

Concio

Augusti.

ritatem enim maxime spectat; diuinarum rerum studijs & cōtemplationi vacare: hoc enim velut cibo charitas ipsa alitur & pascitur. Præclare enim à D. Augustino dictum est. Pondus meum amor meus: quocunq; feror, amore feror. Hebet. n. amor omnis vim abducendi mētem: & eā quocūq; ipse appulerit, impetu & pōdere suo, impellendi. Sicut ergo amor terrenus deprimat ad terrena, ita cœlestis rapiet ad cœlestia. Cœlestiū vero rerum amor & contemplatio miro modo mētis aciem purgat, & illustrat, cœlestiq; sapientia imbuit: à qua velut à perenni quodam fonte, omnis dicendi vis oritur. Hinc est quod D. Gregorius ait, Sancti viri quieti contemplantes sorbent, quod occupati erga proximos loquentes refundunt. Et iterū, Sancti viri amando discunt, quod docendo proferunt. Cum. n. totius diuinę legis summa in vno dilectionis præcepto sita sit, multum planè in diuinæ legis cognitione profecit, qui dilectionis ipsius vim non modo legendo, sed etiam diligendo cognouit. Quā quidem sententiam beatissimi patris nostri Dominici exemplo confirmare licet: qui cū in concionandi facultate mirabilis esset, rogatus a quibusdam, vbinam miranda ea quę docebat, didicisset: in libello inquit charitatis.

*Greg. in
Moral.*

tis.

tis. Quod planè responsum vt verissimū est,
 ita quoq; intellectu difficillimū, ijs qui cœle-
 stis huius ignis vim, naturam, energiāq; mi-
 rabilem experti non sunt. Quam tamen ne-
 mō nisi Spiritus sancti ductu & magisterio
 poterit experiri. Quo fit, vt non modo affe-
 ctus & orationis acrimoniam, sed etiam di-
 cendi copiam atq; materiam suo modo cha-
 ritas subministret. ¶ Quoniam verò pauci
 admodum sunt qui in hac prius dilectionis
 & contemplationis schola versentur, quàm
 in publicum pròdeant, docendiq; magiste-
 rium suscipiant: ideo nō immerito eisdem
 D. Bernard⁹ accusat his verbis. Canales (in
 quit) hodie multos habemus in Ecclesia, cō-
 chas verò perpaucas. Tantæ enim charita-
 tis sunt, per quos nobis fluētia cœlestia ma-
 nant, vt ante effundere, quā infundi velint;
 loqui quam audire, paratiores docere quod
 non didicerunt. Quod si quæras quæ nam
 illa sint quæ prius infundi debeant, quā ipse
 effundas, idem ipse in eodem libro declarat
 his verbis. En quantā prius infundēda sunt,
 vt effundere audeamus, de plenitudine, non
 de penuria largientes. Primo quidem com-
 pūctio, deinde deuotio, tertio pœnitentiæ
 labor, quarto pietatis opus, quinto orationis
 studium, sexto contemplationis otium, septi-
 mo

*Bernard.
 sup Cant.*

Idē ibidē.

mo plenitudo dilectionis. Haetenus ille. Videtur ergo quã multa alia præter doctrinã studiũq; requirantur, vt digne aliquis Ecclesiæ magisterium suscipere queat.

Est etiã in hac re aliquid alit' penitusq; introspectiendũ. Constat enim quod quẽadmodum inter medicos ille iure celebrior & præstantior habetur, qui plures à morbo liberauerit: ita inter concionatores, ille discretissimus erit, qui plures à peccati morbo sanauerit: cum hic vtriusque artis finis sit, vt ille à morbis corporis, hic ab animæ languoribus liberet. Certum est aut' sanitatẽ animæ

hinc vult
quod dicitur

(qui apostolici huius officij finis est) dono Dei hominibus contingere: nec vllam, aut potentiam, aut vim dicendi ad hoc sine Dei præsidio posse sufficere. At hoc auxiliũ certius efficaciusque à Deo Dei amicus & vir sanctus impetrabit: ergo quo quisq; sanctior fuerit, hoc plures oratione sua Christo animas lucrificet: ac proinde in officio tocõtinuandiprior merito erit atq; præstantior. Sed quoniã hæc nostra ratio paucis comprehensa est, libet eam (quia maxime ad huius negotij lucem pertinet) paulo satius explicare. Ante õnia ergo ex diuinis literis euidenter agnoscimus, neminem sine speciali Dei au-

hinc dicitur

...auxilio

xilio ad Deū venire, à peccatiq; morte exci-
 tari posse. Sic. n. apud Ioānē legimus. Nemo
 potest venire ad me, nisi pater qui misit me,
 traxerit eū. Est scriptum in Prophetis, erūt
 homines docibiles Dei: Omnis ergo qui au-
 dit à patre & didicit, venit ad me. Prius ergo
 à patre intus erudiendus est, quisquis exter-
 na prædicatoris voce ad Dominū conuertē-
 dus est. Huc & illud pertinet. quod in Iob
 scriptum est: Nūquid Leuiatham capies ha-
 mo? aut armilla perforabis maxillam eius? ut
 videlicet ex eius dentibus animarū excutias
 prædam? Quis igitur hoc, nisi omnipotens
 Deus efficere possit? Propter hoc ergo Dñs;
 discipulos suos, quos prædicatores institue-
 bat, his verbis admonet apud Ioānem. Sicut
 palmes (inquit) nō potest ferre fructum à se-
 metipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, ni-
 si in me manseritis: Ego sum vitis, vos palmi-
 tes; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fru-
 ctū multum: quia sine me nihil potestis face-
 re. Quamlibet ergo disertus, quamlibet po-
 tens in sermone quisque sit, frustra tamen
 loquitur, frustra sudat, frustra clamat, ni-
 si celestis huius magisterij vox in interiori
 hominis aure sonet. Sic enim D. Greg ait,
 In cassum homo exterius monetur, si intus
 non sonet.

Ioan. 6.

Iob. 40.

Ioan. 15.

Grego. in
Moral.

Conció

cor eius gratia non repletur. Est enim mutū
 os omne, si ille intus in corde non clamat,
 qui aspirat verba quæ audiuntur. Rursusq;
 idem, Nisi (inquit) Spiritus sanctus adsit
 cordi audientis, otiosus est sermo doctoris.
 Nemo ergo docenti homini tribuat, quod
 ex ore docentis intelligit: quia nisi intus sit
 qui doceat, doctoris lingua exterius in va-
 cuum laborat. Eandemq; iterum alibi sentē-
 tiam reperit his verbis, Nisi Spiritus sanctus
 auditoris corda repleat, ad aures corporis,
 vox doctoris incassum sonat. Formare. n.
 vocem magistri exterius possunt, sed hanc
 interius imprimere non valent. ¶ Cum sint
 autem multæ huius tantæ miseræ nostræ
 causæ, tum illa præcipua est, quam D. Aug.
 declarat his verbis. Ego cum amatores seculi
 huius intueor, nescio quomodo possit
 esse ad eorum animos sanandos opportuna
 prædicatio: quando enim res huius mundi
 velut prosperas habent, fastu suo respuunt
 salubres admonitiones, & quasi anilem re-
 putant cantilenam: quando autem aduersis
 anguntur, magis conantur euadere vnde ad
 præsens anguntur, quam capere vnde cure-
 tur. Hactenus ille. Cuius sententiæ veritatē
 vtinam non quotidianis penè exemplis de-
 prehenderemus: per quæ liquet, adeo corda
 horū

Greg. in
 hom.

Greg. in
 Mor.

D. Aug.
 in Epist.

Greg. in
 Mor.

horum terrenis rebus, siue secundis, siue aduersis irretiri, adeoq; captiuos pereuntiu rerum amore sensus eorum detineri, vt nihil penè aliud percipere possint, nisi id solù cuius inseparabili atq; adeo insuperabili amore tenentur. Propter quod merito dictũ est: Non recipit stultus verba prudentiæ: nisi ea dixeris, quæ versantur in corde suo. *Prou. 18.* Apud eos vero qui tales sunt frustra ferè de rebus diuinis agas, plena enim corda si quid super infuderis, non recipiunt, sed effundunt. Sed quid frustra dico? Imo vero maximo suo malo percipiunt lucem, quam reijciunt, salutem quam despiciunt, doctrinam quam contemnunt, medicinam qua non vtuntur, & gratiam, quã vltro oblatam, respuunt. An non ergo maioris erit occasio damnationis sic audita doctrina nec recepta? Si non (inquit Dominus) venissem, & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent: nunc *Ioan. 15.* autem excusationem non habent de peccato suo. Rectè D. Aug. Ab exordio (inquit) *Augu. de 5. quest.* propagationis humanæ vsq; in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudicium prædicatur. Quod ipse alibi eleganti explicat similitudine dicens. Simul pluit Dominus super segetes, & super spinas: sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem:

N

non

Concio

non quod ipse Dominus ad hoc pluat: sed quod terra ipsa cœlestem desuper bibēs imbrem, proferens autem spinas & tribulos his à quibus colitur, reprobata est, & maledictio proxima. cuius consumatio in combustionē vt Apostolus ait. ¶ Cum hæc igitur ita sint, & omnis opera nostra sine Dei favore, vsq; adeo non sufficiat ad salutem, vt maioris etiam damnationis occasionem præbeat: quē ex hoc sperare fructum poterit quamlibet disertissimus Ecclesiæ magister, nisi magisterij cœlestis virtutem & lucem continuis precibus & gemitibus promeruerit? Præclare enim Aug. Prædicator (inquit) laboret, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur: & hoc se posse magis pietate orationum, quam oratoris facultate non dubitet: vt orando pro se, ac pro illis quibus est allocuturus, sit prius orator, antequam doctor: & ipsa hora accedens, prius quā exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam sitientem, vt ructet quod biberit, vel quod impleuerit, fundat. Haftenus ille. Quod si ita est, & res hæc precibus magis quam concionibus, & gemitibus quam verbis, & clamoribus ad Deum, magis quam ad populum vocibus peragenda est: aperte sanè constat charitatem, mōrumq; integritatem

tem, ad hoc sanctissimum munus quã maxime pertinere: vt pote quæ preces nostras gratissimas Deo faciat: & per eas doctrinæ suæ vim impetret, efficaciamq; mouendi.

His etiã adde, quòd sanctitas vitæ vehementer cõfirmat roboratq; doctrinam: quæ operum attestatiõne maxime comprobatur: dum homo ipsa vitæ suæ institutione dictorum suorum fidem facit. Hinc D. Gregorius ait, Ille loqui veritatem nouit, qui prius benefaciendo didicit: & tunc verbi semen germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Vnde facile liquet (id quod à nobis ante dictum est, cum de Episcopi sanctitate àgeremus) non solum oris, sed totius etiam hominis sanctitatem, & cum ipso ore concordiam ad hoc opus exquiri: vt totus sit immaculatus & purus, qui puritatis suæ participes alios efficere debeat. Propter quod Dominus, cum Hieremiam prædicatorem creare voluisset, prius illum in vtero etiam matris ab omni peccati labe purgauit, vt singulari quadam puritate & sanctitate esset insignis, qui alios ad sanctitatem puritatẽq; vocare debebat. Isaiæ quoq; labia cœlesti igne & angelico ministerio purgãtur: vt sic idoneus redderetur, qui alios à peccati sordidibus purgare posset. Paulus

*Grego. su
p Ezech.*

*Max. in
vero ser.*

Concio

vero vltra humana raptus est ad tertiu cœ-
 lum: & cœlestia secreta cognouit, vt Eccle-
 siarum futurus doctor, inter angelos disce-
 ret, quod inter homines prædicaret. Merito
 ergo D. Gregorius Naziazenus mores opti-
 mi concionatoris describens, ait. Mundari
 prius oportet, & sic alios mundare: sapientē
 prius fieri, & sic alios facere sapientes: lumē
 fieri, & sic alios illuminare: ad Deū accede-
 re, & alios ad Deum adducere: sanctificari,
 & ita sanctificare: manus habere rectas, &
 sic cadentibus porrigere manum. Si ergo
 tanta ad hoc munus puritas ac sanctitas vitę
 requiritur (quæ à charitatis virtute diuelli
 nullo modo potest) cuius erit vel vtilitatis,
 vel authoritatis ea doctrina (quantocunq;
 fulgeat splendore sermonis) quæ ab impu-
 ro pectore & ore procedit? Merito enim ad-
 uersus huiusmodi concionatorem in clamat
 D. Augustinus. Exaudi teipsum durissime,
 immanissime, surdissime doctor: quid mihi
 lingua aurea, & cor ferreum? Delicata do-
 ctina est (inquit Hieronymus) pugnanti
 ictus dictare de muro: & cum ipse vnguen-
 tis delibutus sis, cruentum militem accusare
 libidinis. ¶ Sunt enim multi (vt D. Grego.
 ait) qui spiritualia perscrutantur: sed quæ
 intelligendo penetrant, viuendo conculcāt

Repente

*Augu. in
Epist.*

Hierony.

*Greg. in
Pastor.*

Repente docent, quæ non opere, sed meditatione didicerunt: & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Quam sit autem inutilis huiusmodi doctrina, frequētissimè D. Gregorius varijs in locis declarat. Cuius enim (inquit) vita despicitur, restat, vt eius prædicatio contemnatur. Et rursum: Dum persona despicitur, nec recta quæ protulerit placent: cum tamen aliquando & inter spinas spica succrescat. Et iterum. Vbi conscientiam mordet reatus criminis, linguâ ligat timor confusionis. Et alibi. Cum prædicatores ea proferunt, quæ seruare contemnūt, veritas sic linguam mouet, vt feriat vitam: quatenus & ipsi verbis fiant iudices, & factis accusatores. Quid quod nōnunquam huiusmodi doctrina auditoribus nocet, dū plus obest exemplo, quàm prosit verbo? Propter hoc enim D. Augustinus ait. Doctrina per malos, palmes in sepe, botrus in spinis, caute lege, ne dum quæris fructum, laceres manum: & cum audis bene docentem, imiteris mala facientem.

Videtis ergo Patres obseruandissimi quā multis nominibus docendi munus (quod maximè vestrum est) charitas iuuet ac prouehat? Nam innocentia vitæ (quæ ab ea proficiscitur) doctrinam confirmat, ornat, & illu

*Greg. in
hom.*

*Idem in
Moral.*

*Idem in
Past.*

Concio

& illustrat. Sic enim Petrus apostolus exi-
git, vt doctrinam domini Saluatoris mori-
bus ornemus. Et precationis quoque vir-
tute diuinum numen auditoribus propitiū
facit: sine cuius luce & magisterio, otiosum
est quidquid ab humano ore proficiscitur.
Et materiam quoq; ac dicendi copiam sub-
ministrat: sine qua infirma, inanis, & ieiuna
est omnis oratio. Ac postremo calorem, af-
fectus, verba, vim dicendi, acrimoniam, acu-
leos, atque ignita verborum iacula, imo &
fulmina sæpe ministrat. Si enim sola imita-
tio veritatis ad flectendos auditorū animos,
tantum sæpe valuit: quantum ipsa eadem
veritas quauis imagine & imitatione poten-
tior erit? Si tantum potest arte expressa &
adumbrata natura, quid ipsa per se rerum
facies atque natura præstabit? Omnia ergo
hæc ad recte dicendum charitas præstat: quo-
minus mirandum est, si tantam illi vim ad
eloquendum tribuamus. Quod si ira non
est, quid ergo est, quod Spiritui sancto (qui
Patris & filij cōmunis charitas est) hoc cō-
sona Ecclesiæ voce tribuitur, quòd is locu-
tus fuerit per Prophetas? Cur enim hoc nō
potius tribuatur filio: qui verbum est & sa-
pientia Patris: cum ad sapientiam pertineat
docere, & ad verbum eloqui: quod vtrumq;
huius

huius officij proprium est? Verum quamuis hoc ita sit, vt in quouis alio argumenti genere tractando, scientia pariter & eloquentia maximè egeamus (à quibus omnisdicēdi vis manat) ad diuina tamen eloquia sublimius, puriusq̄ue tractanda, magis animi puritate & charitate, quam aut scientia, aut eloquentia indigemus. Vnde & idem Dominus cum Apostolos ad prædicandum destinasset, prius eos ardentissimę charitatis igne purgauit, sanctificauit, & inflāmauit: quo æstuantēs, non verba summo ingenio excogitata eloqui, sed ardentēs flammās emittere viderentur: quibus vniuersum orbem ad Dei cultum & amorem accēderent. Quo igne Hieremię prophetę cor vsque adeo æstuat, vt illius vim ardoremq; nō ferēs, in flagrantia verba, hominum mentes pietatis & religionis sensu inflāmantia, erumperet. Idemq; Heliam propheta sic inflāmauerat, vt de eo scriptum sit. Surrexit Helias quasi ignis, & sermo eius vt facula ardebat: Eos autem qui sic ardent, & verbis suis alios arderē faciunt, ad seraphicum ordinem pertinere D. Gregor. testatur his verbis. Sunt nōnulli qui supernę contemplationis amore accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant: nil iam in hoc mūdo cupiunt, solo æterni-

*Grego. in
hom.*

Concio

æternitatis amore pascuntur, terrena quæq;
abijciunt, cuncta temporalia mente transcē
dunt: amant & ardent, atque in ipso suo a
more requiescunt: amando ardent, loquen
do & alios accendunt: & quos verbo tan
gunt, ardere protinus in Dei amore faciunt.
Quid ergo istos, nisi Seraphim dixerim: quo
rum cor in ignem conuersum, lucet & vrit?
Quid igitur in huius virtutis laudem ma
gnificentius dici potuit, quam vt per eam
mortalis homo ad tanti ordinis dignitatem
atque consortium rapiatur? O verè miran
da charitas, quæ tam multa potes, tam ma
gna præstas, quæ ministros Dei vt flammâ
ignis ardere facis, fideles perficis, sacerdo
tes consecras, pontifices ornas, sanctitatis
fons, prudentiæ fomes, piæ solitudinis ma
ter, fortitudinis robur, scientiæ lumen, mi
sericordiæ parēs, iustitiæ ministra, cōcionā
di artifex, dicēdi perita, et totius deniq; non
modo christianæ vitæ, sed etiam pastoralis
officij sūma, columna, & firmamentum.
Merito ergo hanc vnam iterum Dominus
à principe pastorum Petro requirit: vt pote
qui tot ac tam miris modis sacrum hoc pa
storalis officij ministerium, ab ea iuvari in
telligebat. Sapientis enim proprium est, su
peratis

peratis verborum ambagibus, quam paucissimis rei summam attingere: quod in hac causa cœlestis hic magister fecisse videtur: qui hac vna ratione, & orationis breuitate, & causa perspicuitate, & auditorum vtilitati consuluit: dum in vna penè charitate, latissimi huius negotij summam cōprehendit. Huic ergo studete patres, hanc votis omnibus expetite, hæc in vestro pectore ferueat, in verbis luceat, in moribus splendeat, in officio dirigat, & ad omne vos opus bonum informet, & accendat. Atque etiam date operam ut vestra industria, cura, atque consilio, principes (ad quos eligendorum episcoporum cura pertinet) eos eligant, quos magis hac ipsa charitate accensos, virtute præstantes, religioneque excellentes esse intellexerint: ne vos officio vestro, illi verò creditæ sibi curæ deesse videatur. Quod verò ad me attinet, rursus quam initio dicendi veniam petij (quod huius tanti muneris expers, coram tam veteranis ducibus, & de Christi Ecclesia tam præclare meritis, verba facere tetauerim) eandem iterum atque iterum posco: opportune admodum eadem illa verba repetens, quibus D. Greg. opus illud egregium pastoralis officij clausit. Vsurpauit (inquit)

Concio

(inquit) mihi cotis officium, quæ ferrum
reddit acutum: cum sit inutilis ad secan-
dum. Pulchrum depinxi hominem pi-
etor fœdus: aliosq; ad perfectio-
nis littus dirigo, qui adhuc
in delictorum flucti-
bus versor.

Dixi,

Errata operis.

Fol. 1. Epistola. a. linea. 22. hic, lege, huc:

Ibidem li. 26. tũt, l. tum.

Fol. 5. b. li. 6. pietatis, lege, pietate. Ibidem, disci-
plina, l. disciplina

Fol. 10. a. li. 3. honore, l. onere.

Fol. 19. a. linea. 9. serutaris, l. scrutaris.

Ibidem li. 15. Vrbes, l. Vrbs.

Fol. 21. a. li. 1. præcipit, l. præripit.

Fol. 22. a. li. 27. dicitur, l. ducitur.

Fol. 31. a. li. 26. quo, l. quod.

Fol. 38. b. li. 19. quo, l. quod.

Ibidem li. 20. dispiciunt, l. despiciunt:

Fol. 43. b. li. 3. esset, l. esse.

Fol. 49. a. li. 6. succendere, l. succendi.

- Fol. 50. b. li. 20. per, l. propter.
 Fol. 51. a. li. 10. Ecclesia, l. Ecclesia.
 Fo. 72. a. li. 20. n dies, l. indies.
 Fol. 84. a. li. 19. debent, l. non debent.
 Ibidem. b. li. 4. pe. itum, l. peritur.
 Fol. 86. a. li. 2. habent, l. habet.
 Fol. 88. b. li. 20. pp, l. propter.
 Fol. 95. b. li. 23. cūt, le. cāt.
 Fol. 104. b. li. 5. bac, l. ha.
 Fol. 110. b. li. 12. Epistopis, l. Episcopus.
 Fol. 112. b. li. 2. credelitatis, l. crudelitatis.
 Fol. 116. b. li. 15. liberamine, l. libramine.
 Fol. 120. a. li. 18. paruū, l. parū.
 Ibidem. li. 21. disperandi, l. desperandi.

Errata in Explicatione Concionis.

- ¶ In secunda pagi. Epistole li. 15. mire, lege, wiere:
 Fol. 11. b. li. 11. peuenisset, l. peruenisset.
 Fol. 12. a. li. 2. sciremns, l. sciremus.
 Fol. 16. b. li. 22. mutās, l. nutans.
 Fol. 37. a. li. 1. pingiū, l. pinguium.
 Fol. 57. a. li. 15. virtutum, l. virtutē.
 Fol. 63. a. li. 10. oratione, l. ratione.
 Fol. 65. a. li. 9. filios, l. filios suos.
 Fol. 72. a. li. 6. pfecta, l. perfecta.

